




1) alle in sich
angeb. J. 6. 318

2) 00
M. 0001

Theol. H. VII. 723.



VITA
GREGORII
ROMANI PONTIFICIS

ejus nominis

SEPTIMI

concinnata

a

JUSTO CHRISTOPH. DITHMARO,
IN ACADEM. VIADRINA
HIST. PROF. EXTRAORD.




FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Impensis JEREMIÆ SCHREY & JOHANNIS
CHRISTOPH. HARTMANNI,

Anno 1710.

VITA
GREGORII
ROMANI PONTIFICIS

huius nominis
SEPTIMI

CONCINIUS
IUSTO CHRISTOPH. DITHMARO
IN ACADEMIA VINDOB.
HIST. PROF. EXORD.



FRANCISCAE ACADEMIAE
IMPRESSE H. KREMER SCHREY & JOHANNIS
CHRISTOPH. HARTMANNI
Anno 1770

PER
M
L
P
A
U
M
RER
PA
ECC
O
CO
LIT



VIRO
PERILLUSTRI atq; EXCELLENTISSIMO

**DOMINO
MARQUARDO
LUDOVICO**

DE

PRINTZEN,

**AUGUSTI REGIS BORUSSIÆ
MINISTRO STATUS INTIMO,
RERUM FEUDALIU M DIRECTORI
SUPREMO,**

**PALATHI REGII PRÆFECTO,
ECCLESIASTICI SENATUS
PRÆSIDI,
ORDINIS A QVILÆ NIGRÆ
EQVITI,**

**COMITATUS RUPPINENSIS
GUBERNATORI &c.
LITERARUM MÆCENATI INDUL
GENTISSIMO.**

S. P. D.

PERILLUSTRIS atq̃ EXCEL-
LENTISSIME DOMINE.

NON potui mihi imperare, quin
hoc, quicquid est, operis Tibi,
VIR PERILLUSTRIS, inscri-
berem, sacrumque facerem.
Jam pridem enim inter tot homines,
quorum oculos Virtutum Tuarum
splendor in se convertit, & ego sum-
mam perpetuamque in TE colendo
Vene-

EL
Venerationem mihi constitui, e-
jusque nunc pignus quoddam TIBI
offero hoc, quantulum est, Histo-
rici argumenti opusculum. Neque
Literarium hoc documentum prorsus
ingratum TIBI fore, singularis Tua
Benevolentia, qua Bonarum Litera-
rum studia, eorumque cultores foves,
spem mihi fecit, atq; persuasit. Quin
etiam, ut hunc libellum, cui horas sub-
cessivas & a lectionibus meis tum pu-
blicis, tum privatis mihi relictas desti-
navi, Tuo judicio Patrocinioque sub-
jicerem, officii mei duxi. Quia enim
præter cetera, quæ obis, illustria mu-
nia rerum quoque Academicarum
Cura Tibi commissa est; insuperque
Tuo consilio & commendatione
præcipue factum, ut a POTENTISSIMO
REGE BORUSSIÆ Historiarum in hac
Academia Professione fuerim ornatus,
ad TE quoq;, VIR PERILLUSTRIS,
hoc quaecunq; specimen, ut muneris
mei

mei quodammodo rationem TIBI
redderem, deferendum censui. Quam-
vis vero exigui illud precii agnoscam,
in summæ tamen meæ erga TE Pie-
tatis monumentum id accipias, qui-
bus par est, precibus contendo, Deum
veneratus, ut longissime vegetum TE
& incolumem seruet, quod ex interi-
ori animi sententia vovet

*PERILLUSTRIS atque EX-
CELLENTISSIME
DOMINE,*

VIRTUTIBUS TUIS

DEVOTISSIMUS

Dabam Francofurti
ad Viadrum, pridie
Calend. Maji 1710.

JUSTUS CHRISTOPH.
DITHMARUS.

N

Qua
imp
quib

IV.

usqu

Dun

ter,

(3)

TEL

gorii

RES

Sax

van

ricu

May

(1)

entur

dicio

scrip

vel s

liqui

quia

RAI

Orig

gorii

ejus o

agita

mosa

tiene

Lector Benevole.

Non multis Te morabor. Vitam GREGORII R. Pontificis ejus nominis SEPTIMI Tibi exhibeo, quam, ut conscriberem, amici cujusdam hortatu sui impulsus. Præcipua mihi cura fuit, ut studia partium, quibus scriptores in rebus ejus Pontificis atque Henrici IV. exponendis tantum indulgent, quantis odiis utriusque factiones sese invicem persecuta fuerunt, evitarem. Dum enim BRUNO (1) DOMNIZO (2) Presbyter, LAMBERTUS SCHAFFNABURGENSIS, (3) alique à Jacobo GRETSERO (4) & SEBAST. TENGNAGELIO (5) editi, summis laudibus Gregorium evehunt, BENNO (6) econtrario, & AUCTORES Vitæ Henrici IV [7]: Historiæ [8] Belli Saxonici; Libri (9) de Unitate Ecclesiæ conservanda & Schismate, quod quod fuit inter Henricum IV. Imp. R. & Gregorium VII. Pontif. Max. alique, quos MELCHIOR GOLDASTUS (1) collegit, Gregorium detestati, Henrici partes tinentur; adeo ut, si qua alibi. hic præcipue Historico iudicio opus sit. Nullus itaq; partes ego secutus, nihil scripsi, nisi cuius veritas vel ex Gregorii ipsius epistolis, vel scriptorum utriusque partis consensu vel aliunde liquido mihi constabat, certa que videbatur. Ceterum, quia id Gregorius præcipue studuit, ut INVESTITURAM EPISCOPORUM Imperatoribus extorqueret, Originem non solum istius juris, rationemque ante Gregorii tempora vita ejus paucis præmisi, sed & quia post ejus obitum lis de Episcopis constituendis acerrime adhuc agitata fuit, progressum quoque hujus controversia ad famosam usque Calixti II. cum Henrico V. de illa conventionem adjungere constitueram. Aliis vero, dum hæc scriberem,

bebam, negotiis implicitus, in commodius tempus id differre cogor. His interim sive, Lector Benevole, atq; Vale.

(1) De Bello Saxonico ad Werinherum Episcopum Merseburgensem, apud *MARQ. FREHERUM* Tom. I. *Rer. Germ.*

(2) In Vita Mathildis, quam libris duobus conscriptam inter alia opuscula pro Gregorio VII. *SEBAST. TENGNAGELIUS*, Bibliothecarius Casarius Anno 1612. Ingolstadt edidit.

(3) In Chronico suo, qui etsi præter ætatis suæ rationem satis pure, nec sine prudentia scripserit, fides tamen ejus sæpius vacillat. Quædam vero sincere refert, unde & nos subinde eum citavimus.

(4) Qui opuscula quædam pro Gregorio VII. Ingolstadt Anno 1609. edidit.

(5) *Vid. not. 2.*

(6) De Vita & Rebus Gestis Hildebrandi: in quem licet immodicis suis conviciis Baronius præsertim injurius sit, affectibus tamen quandoq; indulgisse Benonem, non ausim negare.

(7) Quæ ab Ursulio T. I. *Rer. Germ.* Reubero, & Goldasto inter Apologias refertur. Auctorem ejus, quem *Vossius de Hist. Latin.* lib. 2. c. 48. se ignorare fatetur, Goldastus, & Meibom; T. 1. p. 144. Othbertum Episcopum Leodiensem fuisse conjiciunt.

(8) Versu conscriptæ libris III, qui isidem inter Apologias Goldasto exhibentur. De auctore eorum etsi liquido non constat, rebus tamen gestis eum intersuisse apparet.

(9) Quæm *Ulricus Huttenus* primum edidit. De auctore ejus, qui incertus est, ut & reliqui scriptis de rebus ab *Henrico & Gregorio* gestis videantur dissent. Goldasti de auctoribus Apologiæ quas recensuit *Michaelis Herzii Biblioth. Germ. ad Henricum IV.* In primis vero *Ch. NeuI. Mantissa ad Wbeari Relect. Hiemales Sect. IX.*

(10) Sub titulo Apologiæ pro *Imp. Henrico IV.* quas Repliationi suæ pro imperio subjunxit.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Qua

Investitura Episcopalis ante

GREGORIUM VII. ratio præcipuè exponitur.

§. I.



N tantam Seculum à CHRISTO nato undecimum malorum Lernam incidit, ut, qui ejus res memoriæ reliquerunt, insignes Scriptores, *Ferream, Effeminatum* atq; *Magicum* propter morum corruptionem illud appellare soleant. Sunt quoque Divinorum Oraculorum non contemnendi Interpretes, (1) qui illustre *Johannis* (2) de ligando per mille annos illisq; elapsis

A psis
 (1) Omnes fere medii ævi *Augustinum* secuti Lib. 20. de Civit. DEI. Ex recentioribus *Armachanus Præsul Usorius* de Success. Eccles. c. 1. §. 6. & c. II. istorum sententiam quoque tuetur.

(2) Apoc. c. 10. v. 1. 8.

plis rursus *solvendo* Satana, vaticinium undecimo Seculo eventum suum sortitum fuisse existimant, quod illius præsertim ævi homines pietatis, justitiæ, pudorisque denique omnis repagulis remotis, adeo vitiis sese dederint, ut Diabolus vinculis, quibus hætenus constrictus fuerat, solutus, omnium malorum Pyxidem aperuisse orbemque terrarum suo solius imperio obnoxium habuisse videatur. Ea imprimis tunc rei Christianæ fuit misera facies, ut teste *Baronio* (1) *fama in Gallia orta, mox per orbem divulgata & à compluribus credita* tunc extiterit, fore, ut *Homo iste peccati, filius perditionis, dictus cognomine Anti-Christus* (2) illo tempore reveletur. Quæ communis opinio, licet ab eodem Scriptore, Pontificum Romanorum mancipio, vana dicatur, suis non destituta fuit rationibus, eosque procul dubio habuit Auctores, qui in pejus ruentem ex altera parte Ecclesiæ Statum, ex altera vero Oracula Divina respicientes,

(1) *Annal. Eccles.* Tom. XI. p. 2. in fin.

(2) 2. *Theff.* 2. v. 3.

tes, tristissima, quibus Anti - Christi Tyrannis in nervum erumpere debebat, tempora instare animadvertunt. Etenim imperium Anti Christi, quod per gradus incrementa sua cepit, ad virilem aetatem pervenire, summumque fastigium seculo demum undecimo perducere evehique debuit. Imo *Gregorium* Romanum Pontificem ejus nominis VII, qui dicto Seculo ad finem vergente vixit, imperium Papale ad *duxerit* suam perduxisse, optimorum non solum Scriptorum fide, rerumque gestarum nexu constat, sed & à sacris Vatibus illud jamdiu ante prædictum annunciatumque fuit.

S. 2.
AVENTINUS, qui in rebus gestis Henrici IV. atque Gregorii VII. exponendis, publicam instrumentorum Auctoritatem, nugis quorundam Monachorum posthabitis, se fuisse secutum contestatur, (1) *Hildebrandus*, inquit, (2) qui & *Gregorius VII. PRIMUS* imperium Pontificium condidit, quod successores per

A 2

Qua-

(1) Annal. Bojor. L. V. p. 344. edit. Basil.

(2) Cit. lib. p. 346. initio.

Quadringentos quinquaginta continenter an-
 nos invito mundo, invitis Imperatoribus a-
 deo duxere, ut Inferos Superos in servitu-
 tem redegerint. **EBERHARDUS** Epi-
 scopus Salisburgensis in Oratione, (1)
 quam tempore *Friderici II.* in Conci-
 lio Ratisbonensi habuit, *Hildebrandus*
 dicit, ante annos Centum atque septuagin-
 ta, **PRIMUS** specie Religionis Anti-Christi
 Imperii fundamenta jecit. Hoc bellum ne-
 fandum primus aucupatus est, quod per Suc-
 cessores usque continuatur. Ipsimet
 quoque Scriptores Pontificii, rei veri-
 tate compulsi, hæc diffiteri non possunt.
Huic uni, de *Gregorio VII.* *Onuphrius Pan-*
vinius scribit, (2) cum omnes Latine
 Ecclesie, tum præcipue Romana acceptum
 referre debet, quod libera sit, & ab Impera-
 torum manu eruta, quod tot divitiis, opibus
 & prophanâ ditione locupletata, quod Regi-
 bus, Imperatoribus sit præfecta, à quo postre-
 mo, ut omnia verbo uno complectar, maxi-
 mus iste eximiusque Status in quo Ecclesia
 Romana est, omnium Christianarum **DOMI-**
 NA

(1) Recenset eam orat. Avent. Annal. Bajor. L. 7.
p. 420. & Mornæus in Myst. iniquit. p. 303.

(2) in vita Gregorii VII.

NA, cum antea tanquam vilis ancilla non
 ab Imperatoribus modo, sed à quovis Prin-
 cipe Romani Imperatoris praesidiis fulto, pre-
 meretur. Ab hoc maximæ illius & omni Se-
 culo tremendæ, venerandæque Romani Pon-
 tificis & infinitæ pene potestatis jus mana-
 vit. Nam etsi ante Romani Pontifices tan-
 quam Religionis Christianæ Capita, Christi-
 que Vicarii & Petri Successores colerentur,
 non tamen eorum auctoritas ultra protende-
 batur quam in fidei dogmatibus vel asseren-
 dis vel tuendis. Ceterum Imperatoribus sub-
 erant, ad eorum nutum omnia fiebant; ab
 iisque creabantur, de iis judicare vel quic-
 quam decernere non audebat Papa Roma-
 nus. PRIMUS omnium Romanorum Pon-
 tificum Gregorius VII. Armis Nortmanno-
 rum fretus, opibus Comitissæ Mathildis mu-
 lieris per Italiam potentissimæ confisus, dis-
 cordiaque Germanorum Principum bello ci-
 vili laborantium inflammatus, præter Ma-
 jorum morem contempta Imperatoris auctori-
 tate & potestate cum summum Pontificatum
 obtinuisset, Casarem ipsum (à quo si non ele-
 ctus saltem confirmatus erat) non dico ex-
 communicare, sed etiam Regno, Imperio-
 que privare ausus est. Sed & MAIMBUR-

A 3 GIUS,

GIUS, acerrimus ceteroqui Pontificia-
rum partium defensor, *Auctoritatem*,
inquit (1) de Gregorio VII. *Ecclesia*
Romanae altius longe evexit, quam quis-
quam fecerat decessorum.

§. 3.

Hæc vaticiniis, quæ Imperii Papa-
lis consummationem atque fastigium
prædixere, egregie congruunt. *Be-*
stiam enim de qua *Johannes* vaticina-
tur (2) *Decicornem* seu *Imperium Babylo-*
nis Mystica, persecutricis Sanctorum, ex ru-
deribus destructi Imperii Romani Veteris in
Occidente nasciturum seque ostentaturum
in decem potentibus Regnis Europæis Reli-
gionis causa se Romæ unituris ejusque super-
stitioni ac savitiæ ad tempus seroituris tem-
pore Gregorii VII. ex mari Aquilona-
rium gentium Johannem vidisse e-
mergere atq; terribili specie externa
in Orbe comparere, Cl. *Vitringa* soli-
de non minus quam erudite docuit.
(3) Regis quoque, cujus specie *Daniel*
Cap. XI. v. 36. 30. Anti-Christi præ-
cipue conditionem exhibet, imagi-
nem

(1) La decadence de l'Empire Lib. 3. ad annum 1075.

(2) Apoc. 13.

(3) Anacrisi. Apoc. p. 704.

nem Gregorius VII. ita ad vivum expressit, ut sacer Vates, eum præ ceteris videatur indigitasse. Dicitur truculentus ille Rex, qui jamdiu ante *Thronum Nequitie* insidere visus erat, (1) omnia primum ex animi sui sententia, nulla Juris ratione habita, acturus. Dein se elaturus supra omnem DEUM; idem scilicet, quem Propheeta (2) audiverat jactantem; *conscendam supra stellas DEI, extollam thronum meum, sedebo in monte conventus, ad latera Aquilonis*; atque Apostolus *ὑπεραιρόμενον ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα* futurum nunciat (3). Tertio mirabilia locuturus, seu *κόμα λαλῶν μεγάλα καὶ βλασφημίας*, *Os loquens magna & blasphemias habiturus* (4). Quarto spreturus DEUM patrum suorum, nec ad desiderium mulierum attenturus; *κωλύων nempe γαμεῖν prohibens nuptias* (5). Quinto DEUM patribus suis ignotum in *theca sua* pretioso cultu honoraturus; quod *Matthaus*

A 4. indi.

(1) Pf. 94. v. 20.

(2) Eisa. 14. v. 13.

(3) 2. Theff. 2. v. 4.

(4) Apoc. 13. 5.

(5) 1 Tim. 4. 3.

indicare voluit, *falsos* dicens (1) *Prophetas* Christū *ἐν τοῖς ταμείοις* in *Cibariis* (vox enim *ταμείον* locum proprie significat, ubi *esculenta* & *potulenta* solent recondi) monstraturos. Respicitur autem utroque in loco ad idolum *Missaticum*, seu panem & vinum, quæ post consecrationem in carnem & sanguinem Christi dicunt mutata esse, atque in thecis reposita pretiosis, non aliter ac ipsum CHRISTUM divinis honoribus Pontificii solent excipere. *Sexto* terras in operæ pretium iis daturus, qui eundem DEUM secum coherunt.

§. 4.

Nihil vero eorum omnium est, quod de Gregorio VII. optimo jure dici quoque non possit. Is enim omni jure posthabito ex animi sui sententiâ omnia gesit, quod *Gerochus*, homo factionis *Hildebrandinæ* ceteroqui studiosissimus, diffiteri non potuit, apud *Aventinum* (2) *Romani*, inquiens, *sibi divinum usurpant honorem, rationem actorum reddere nolunt, nec sibi dici æquo animo ferunt.*

(1) Matth. 24, 26.

(2) Lib. 5. *Annal. Bajor.* p. 345.

runt, cur ita agis? illud satyricum inculcant: Sic volo sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Mira quoque omnibusque seculis non solum inaudita in Dictatibus suis, quos infra recensebimus, protulit, sed & miracula faciendi potestatem non sine horrenda in DEUM blasphemia sibi vindicavit. Hildebrandus est, qui solutis Clericorum conjugii cœlibatuque præcepto desiderium mulierum amoremque conjugalem, quem omnia Jura tam sancte habent, vilipendit ac sprevit. Is præterea est, qui diversis contra Berengarium decretis datis, Idolum illud Misfaticum, ignotum patribus suis, DEUM constituit ac penitus stabilivit. Formulam, qua Berengarium sententiam suam in Synodo Romana Anno 1079. abjurare coëgit, ex Bertholdo Constantiensi, ita Nat. Alexander (1) refert: Ego Berengarius corde credo & ore confiteor. panem & vinum, quæ ponuntur in Altari per Mysterium Sacrae orationis & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram & propriam ac vivicantem

A 5 tri

(1) Secul. XI. & XII. Disf. I. art. 17.

trixem carnem ac sanguinem Domini nostri
JESU CHRISTI, & post consecrationem
 esse verum **CHRISTI** corpus, quod natum
 est de Virgine, & quod pro salute mundi obla-
 tum in cruce pependit & quod sedet ad dex-
 tram Patris, & verum sanguinem **CHRIS-
 TI**, qui de ejus latere effusus est, non tan-
 tum per signum & virtutem Sacramenti, sed
 in proprietate Naturæ & veritate Substan-
 tia, sicut in hoc Brevi continetur, & ego legi
 & vos intelligitis, sic credo nec contra hanc
 fidem ulterius docebo. Sic me **DEUS** ad-
 juvet & hæc Sancta Evangelia. Is est, qui
 Principatus, Regna Imperiaque aliis
 auferendi atque pro lubitu suis Affe-
 clis, Rudolpho aliisque concedendi po-
 testatem sibi sumsit. Quod denique
 Regis à Daniele prædicti conditio re-
 quirebat, supra eos qui vicem Dei ge-
 runt Principes, Reges & Imperatores,
 sese non solum extulit Gregorius, sed
 & divinos plane honores sibi vindica-
 vit; quod tanto confidentius asserimus,
 quia *Venericus* (1) Vercellensis Episco-
 pus, Scriptor Gregorio æqualis supra
 cita-

(1) De Unitate Eccles. conservand.
 fol. 114. apud Schard.

citatum Esaiæ vaticinium huic Ponti-
fici non immerito applicat, atque
Summus, inquit, Pontifex sedis Apo-
stolicæ arguitur mendacii, quia humili-
ans se, in omnibus appellat se servum Servo-
rum DEI, quod legitur B. Papa Gregorius
I. omni in principio Epistolarum suarum scri-
bendo satis humiliter definisse & cunctis suis
Successoribus documentum hoc suæ humilita-
tis dereliquisse, & sic sancti omnes per humi-
litatem ascenderunt ad exaltationem illam
Cælestem, de qua cecidit ille Apostata Ange-
lus (Hildebrandum intelligit) per super-
biam, qui dixit in corde suo: In Cælum af-
cendam super astra DEI exaltabo solium me-
um &c. ascendam super altitudinem nubium,
similisque ero Altissimo &c.

S. 5.

Inde np. ab initio Seculi V. quo An-
tistitum Romanorū ambitio in apertam
lucem cœpit erumpere, ad tempora us-
que Hildebrandi hujus seu Gregorii
VII. id solum egerant Pontifices, ut
summam in articulis fidei definiendis,
moribus censendis, atq; ritibus Eccle-
siæ præscribendis sibi assererent pote-
statem, Concilia vero indicendi, Epi-
sco-

scopos constituendi, aliaque Jura in Ecclesiam Imperatoribus, ut par erat, reliquerant integra, seque ipsos ut ex testimonio quoque Onuphrii *supra* (1.) *cit.* liquet, iis subjectos agnoverant. Ut vero cupiditates mortalium ubi semel exorbitare cœperunt sisti aut circumseribi non possunt, ita ubi Pontifices Romani Monarchiæ Spirituali in Europa fastigium imposuissent, poenitere eos fortunæ cœpit, nisi & de Imperatorum Capitibus tam libere possent statuere, quam poterant de doctrina fidei & morum disponere. Inprimis vero id studuit Gregorius VII, qui Cælum Terra miscuit, ut Imperatores jure non solum, quod in Ecclesiam illis compete-
 bat, privaret, sed & Legislatoriam & despoticam plane in eos sibi, suisque successoribus potestatem assereret. Id ergo præcipue egit, ut EPISCOPOS INVESTIENDI jus Imperatoribus primum eriperet, quod vero cum Henricus IV. justissima ratione defenderet, Bellum istud inter *Sacerdotium & Regnum*, Italis atq; Germanis funestissimum;

(1) Paragr. 2.

mum, ortum fuit. Eadem, scribit illustris PETRUS de MARCA, (1) Strages Occidentē aliquando sedavit dissidio inter Ecclesiam & Imperium & variis de Jurisdictione contentionibus orto, quod Gregorium VII. & Henricum IV. inter se commisit, nec potuit incendium, quo Europa flagrabat extingui, donec pax Ecclesie reddita fuisset iis conditionibus quibus depacti sunt Callistus II. & Henricus V. Contentio illa, quae corpus Ecclesie in duas veluti factiones divisit, & veram Schisma conflagavit, non aliunde sumsit originem, quam ex Episcopatum investituris, quae per anulum & virgam concedebantur; quas quidem Gregorius & eum sequenti Pontifices Urbanus II. Paschalis II. libertati Ecclesiasticae adversas asferebant, contra Henrici ambo Pater & filius eas in eorum furium censum referebant, quae à Carolo M. quaesita Imperio per longissimi temporis usum non constituti habere profitebantur, à quibus excidere illos fas non esset, quamdiu imperium retinerent. Idem & alii tam antiquiores quam recentiores Scriptores unanimi consensu testantur. Ne mireris, inquit, CRANIZI-
US

(1) de Concord. Sacerdot. & Imp. L. I. c. I. §. 7.

US (1) Lector ab Imperatore constitutum Episcopum, ferebant hoc illa tempora quando etiam Summorum Pontificum constitutorum destitutorumque habebant arbitrium, quod temporum necessitas ferebat; Non erat Capitulis ut nunc Electio libera, non erat confirmatio Apostolica necessaria, quem Princeps elegerat, is erat Pontifex consecrandus à vicinis Episcopis. Erat longa super hoc jure concertatio inter Sacerdotium & Regnum; hoc duo Henrici Pater & filius Henricus IV. & V.) Hoc etiam duo Friderici Avus & Nepos defendere ac tueri querebant, sed vicit gladius Ecclesie, perfecit ut jus suum Ecclesiis relinquere Imperatores. Teste quoque WILHELMO TYRIO (2) Henricus Teutonicus Rex & idem Romanus Imperator à Gregorio Papa passus fuerat questionem & controversiam non modicam super Annulo defunctorum Episcoporum & Baculo. Inoleverat enim consuetudo præsertim de imperio, quod decedentibus Ecclesiarum Prælati Annulus & Virga pastoralis ad Dominum Imperatorem dirigebantur. Sed & ingenium hac in re se testem rursus præbet Onuphrius Panvini-
us

(1) In Metropol. L. 2. c. 29.

(2) Lib. 1. c. 13. de Bello sacro.

us, qui, erat, inquit, (1) tum consuetudo à temporibus Caroli M. Imperatoris primum ex autoritate Pontificis Hadriani I. introducta, ut alicujus Urbis vel Abbatiae Episcopo aut Abbate mortuis statim Clerus vel Monachi in unum congregati Legatos ad Imperatorem, qui tunc erant, dirigerent, ad quem defuncti Prælati pedum pontificiale & annulum deferentes eum pro novo Antistite deligendo nomine sui Collegii interpellabant, qui statim senatu suo congregato ex ipsius plerumque sententia unum vel ex ipsis Collegiis, vel ex amicis & Capellanis ceterisque domesticis & familiaribus suis juxta loci dignitatem ut ei libitum erat pro arbitrio à se electum Annulo & Virga pastorali Prælati defuncti ad se transmissi donabat, illumque de illo sacerdotio suo imperiali (ut tum dicebatur) investitum, hoc est illa dignitate donatum in Episcopum vel Abbatem consecrari mandabat absque alia Cleri & Monachorum lectione. Hoc autem per Galliam, Germaniam & Italiam, quæ tunc Latinus Orbis dicebatur, usurpari mos erat, cujus exemplo ceteri quoque Reges ut Hispaniæ, Francorum, Hungariæ &c. ejusmodi

(1) In Vita Gregorii VII.

di imitati sunt. Hanc autem consuetudinem, cum omnes ut dixi Latini Orbis Ecclesie tum sepe & diu in multis suorum Pontificum lectionibus seroavit Ecclesia Romana & praesertim in Johannis XIII. Gregorii V. Sylvestri, Clementis, Damasi, Victoris, Nicolaique Pontificum lectionibus, qui omnes ut supra vidimus, Imperatoris Ottonis I. & III. Henrici III. & IV. sententia Romani Pontifices sine Cleri R. suffragiis lecti & ab iisdem Imperatoribus per annulum & virgam de Papatu Romano investiti sunt.

S. 6.

Quod vero ad originem juris hujus Episcopos investiendi attinet, Onuphrius Panvinius cum aliis multis, qui illud Carolo M. primū Adriani I. beneficio ac privilegio concessum, aliosq; Reges & Principes privilegii istius usurpatione Episcopos constituisse dicunt, admodum falluntur. Ut enim nunc taceam Adriani I. pariter ac Leonis VIII. Decreta, (1) quibus ille Carolo M. hic Ottoni I. investiendi Episcopos Pontificesque Romanos eligendi jus largiti vulgo dicuntur, non absq; veri spe-

(1) Adrian. Decret. vid. Distinct. 63, c. 22. Leon. c. 23.

specie à Viris eruditis pro supposititiis haberi, atque tum confectis, cum jus illud Imperatoribus competere negari amplius non posset; id certum est, jam ante Adriani decretum Reges suarum ditionum Episcopos propria auctoritate constituisse. Etenim de *GALLIÆ* Regibus antiquus Auctor de *Investitura Episcoporum*, cujus verba recenset *FLAC. Illyricus*. (1) *Longe*, inquit, *etiam ante decretum Adriani Papæ ejusque successorum, Reges qui erant uncti & Majores Domus investituras Episcoporum fecerunt, scil. Dagobertus, Sigebertus, Theodoricus, Theodebertus. Ab his inthronisati sunt Remaclus, Amandus, Audomarus, Arispertus, Eligius, Lambertus aliique sanctissimi Præsules, cum Reges isti in moribus suis satisfuerint notabiles, & solo nomine Regum per Majores Domus vivebant. Vitæ quoque S. Romani, Episcopi Rotomagensis Auctor, Fit, inquit, inter Palatinos Proceres de Viro sancto communis assensio, qui omnes unanimiter Regi consuluerunt, ne grex Christi suo fraudetur desiderio, sed divina protinus ad effectum ducatur*

B

tur

(1) Catal. Test. Verit. L. XI. p. 1224.

tur electio; quo Rex gratulatus consilio, convocatis tam Episcopis quam Abbatibus baculum illi contulit pastorem. Ad quæ verba Franciscus Furetus sic animadvertit: Qui locus palam arguit antiquissimum Juris usum, quo Gallia Reges investiebant Antilitates sui Regni: Nam ille Romanus claruit sub Ludovico (Clodoveo) & Clotilde circa annum 623. GERMANIÆ itidem Reges non ab Adriano demum Pontifice sibi facta potestate, sed proprio jure Episcopos sui regni constituisse Leopoldus à Babenburg, optimus rerum germanicarum Scriptor, insigni suo testimonio comprobat (1). Reges, is scribit, & Imperatores non tam virtute dicti privilegii, (ab Adriano scilicet concessi) quam ex hoc, quod erant ut plurimum Patroni seu Dotatores Ecclesiarum Cathedralium & Majorum Monasteriorum Germaniæ, Investituras Episcopatum & Abbatiarum in ipsis Germaniæ partibus usque ad tempora Henrici V. (ut apparet in Historia Francorum & ex aliis Chronicis) facere consueverunt. Addit deinde apud Hungaros, Anglos & Hispanos idem

(1) De Zelo Veter. Princip. German. c. 8.

idem obtinuisse. Exempla Episcoporum, qui à Regibus Germaniæ, Galliæ, Angliæ &c. ad Gregorium VII. usque fuere investiti, Lehmannus (1) Meibomius (2) Nat. Alexander (3) aliique referunt. Jure nimirum, quo in territoriis suis gaudent imperantes, summæ potestatis, memorati Reges usi fuerunt, quippe cui omnia, quæ sunt in territorio, etiam externa sacrorum, quorsum Ministrorum Ecclesiæ constitutio utique pertinet, subjici, à præstantissimis (4) Politicis jam dudum evictum est.

§. 7.

Quæ vero ratio fuerit investituræ Episcoporum in Italia, quove jure Germaniæ Reges eam sibi vendicaverint & exercuerint, altius paulo repetendum est. Constat nempe ex epistolis præsertim Cypriani, Ministros Ecclesiæ

B 2

siæ

- (1) Chronic. Spirens. L. 2. c. 42, & L. 3. c. 24.
 (2) Tom. 2. Rer. Germ. Script. Diff. de jur. invest. Episc.
 (3) Tom. 6. Hist. Eccles. p. 125. & seqq.
 (4) vid. Grot. J. B. & P. L. 1. 3. 6. & Tr. de Imp. Sum. potest. circa sacra. Inprimis *Perillustris & Excell. HENRICUS à COCCEJUS*, Jctus Celeberrimus & Regi Borussiae à Consiliis sanctoribus dissert. de Fundata in territorio Jurisd. Sect. II. & J. P. c. 18.

fiæ tribus Seculis prioribus à cœtu Christiano mutuo consensu fuisse constitutos, idque propterea factum, quod Christiani in subsidium quasi, Imperatoribus adhuc Ethnicis, sibimet ipsis prospicere debuerint, recte monet Cl. *Thomafius* (1) Ex quo vero Imperatores fidem Christianam quoque amplexi fuerunt, hi tandem vi summi illius, quod diximus, Imperii, sacrorum quoque curam in se susceperunt atque Ecclesiæ de idoneis Ministris recte prospexerunt. Digna fuerunt Imperatore verba, quibus Constantinum M. Episcopos allocutum se audivisse EUSEBIUS memorat: (2) *Vos quidem eorum, quæ intus sunt in Ecclesia agenda, Ego vero eorum, quæ extra hanc sunt Episcopus à DEO sum constitutus.* SOCRATES (3) *ex illo, scribit, tempore, quo Imperatores Christiani esse cæperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt, atque adeo maxima Concilia de eorundem sententia & convocata fuerunt & adhuc convocantur.* Hæc in Ecclesiam jura Imperatores à Constantin-

(1) in Not. suis ad Monzamb. c. 3. é.

(2) in Vita Constantini M. Lib. 1. c. 24.

(3) Lib. 5. Histór. Eccles.

stantino M. ad Justinianum usque servasse integra, ex Constitutionibus, quæ tredecim Libri primi Codicis Justiniani Titulis collectæ sunt, luculenter apparet. Usque enim adeo in illis arbitrium in negotiis Ecclesiasticis sibi vindicant Imperatores, ut non officia solum præscribant, Jura constituent, privilegiaque Ministris Ecclesiæ largiantur, sed & ad ipsos fidei articulos potestatem suam extendant. Neque à Justiniano solo, cui illam circa sacra leges ferendi potestatem ab Episcopis Græcis esse concessam *Baronius* perfricta sane fronte asserere non erubuit, (1) sed à diversis post Constantinum M. Imperatoribus dictas Constitutiones fuisse latas, ex earum inscriptionibus satis abunde liquet. Quin Episcopi Ecclesiæ seculari potestati ita subjecti semper fuerunt, ut & Gothorum Reges, Pontificum quoque electionem sibi vindicaverint. ODOACRUM enim, primum istius Gentis in Italia Regem, lata lege cavisse, *ne si Simplicium* (qui tunc Papa erat) *de hac luce exire contigerit, propter illum*

B 3

(1) Annal. Eccles, ad ann. 708, N. I.

illum strepitum & venerabilis Ecclesiae detrimentum, sine ejus consultatione cujuslibet celebretur electio, CASSIODORUS testatur (1). At tantum abest, ut injusta fuerit hæc Odoacri lex, ut *Onuphrius Panvinius* (2) cum tota antiquitate eum potius laudet, atque *Baronius* ipse nunquam eum, Ecclesiam in iis, quæ ad sacra pertinent, vexasse fateatur. THEODORICUS quoque litem inter Symmachum & Laurentium, de dignitate Papali disceptantes, ita composuit, ut, Laurentio in exilium ejecto, Symmachum primo confirmaverit; Cum vero litem redintegrasset, utroque rejecto, Petrum quendam Altini Episcopum constituerit Pontificem. Neque Constantinus Pogonatus, *Divali* (3) ad Clerum, Populum, Exercitumque Romanum missa, ut, quem ipse Pontificem justis Comitibus, concordibus animis designassent, eum ex templo consecrare sine Imperatoris autoritate jus esset, suo jure penitus se abdicasse censendus est. Quis enim non videt, istis verbis limitatam
atque

[1] *Variar. Epist. Lib. 7. Epist. 15. 16.*

[2] *De Comit. Imper. c. 4. N. 4.*

[3] *Sigon. de Regn. Ital. L. 2. ad ann. 684.*

atque certis conditionibus restrictam
 in eligendo Pontifice libertatem Ro-
 manis fuisse concessam, salvo inte-
 rim, quod Imperatoribus in Episco-
 pos & Pontifices competebat, jure?
 Nec tam cumulatam Pontificis amplitudini,
 ut Sigonius dicit, quam, ut terris suis
 in Italia, quibus Longobardi immine-
 bant, consulere Imperator, tantum
 Romanis indulgisse putandus est. Quan-
 tum enim Imperatorum tum interfue-
 rit, Romanum Pontificem sibi habere
 amicum, non multo post apparuit. Si-
 quidem Gregorii II. quo invito Leo
 Isaurus, dictus Iconomachus, imagines
 è templis ejici jusserat, malitia (1) fa-
 ctum, quod Longobardi tam felices
 in Italia fecerint progressus, atque
 reliquas Imperatorum in Italia ditio-
 nes occupaverint. Episcopis ergo &
 Pontificibus hoc modo Imperatorum
 cura simul subtractis, omnia in Ecclesia
 Romana turbis fuere permessa, quibus
 ante obviam iri non potuit, quam Ca-
 rolus M. Italia in potestatem suam re-
 ducta, rebus Ecclesiasticis suo jure
 rursus prospexisset. Is enim, post-

B 4

quam

(1) Paul Diacon, Rer. Roman. Lib. 21.

quam victo captoque Rege Desiderio & Longobardis omnibus in fidem ac deditio-
nem acceptis, Regnum Italiae JURE VI-
CTORIAE, ut loquitur Sigonius, (1) sibi
vindicaverat, Episcoporum quoque
investituram atque Pontificis Romani
electionem summo jure exercuit.
Nottingum ideo Vercellensem, alios-
que non solum Episcopos instituit,
verum & Leonem III. Adriano Pon-
tifici suffecit, ejectumque, tanquam
legitimus controversiarum ecclesiasti-
carum Judex, causa (2) cognita resti-
tuit. *Causam*, inquit REGINO, & *Ad-*
versariorum ejus examinat & reos damnat,
ac motus illos Romæ componit ac sedat.

§. 8.

Eodem, quod Carolus M. in Succes-
sores suos transmisit, Jure Ludovicus
I. *Claudium* inter alios Taurinensi Ec-
clesiæ præfecit, patrisque exemplo in
causis Episcoporum judicio habito,
Anshelmum Mediolanensem, *Wolfoldum*
Cremonensem & *Theodulphum* Aure-
lianensem Episcopos, qui cum *Bern-*
hardo

(2) Lib. 4. de Reg. Ital. init.

[3] ap. Centur. Magdeb. Cent. VIII. c. 16. p. 94^o.

bardo contra Ludovicum conspiraverant à Synodo capituli damnatos, ea, qua utebatur, in Clericos lenitate, perpetuo carcere multavit. Quin ipsum Pontificem Paschalem, Theodorici Primicerii & Leonis Nomenclatoris, qui Imperatoris jus defenderant, cædis per Sicarios factæ accusatum, coram Lothario, ad illam causam cognoscendam misso, jure jurando se purgasse ex Annalibus Francorum Magdenburgenses referunt (1). Paucissimos vero inde à Carolo M. ad Ottonem usque I. Pontifices Imperatorum autoritate fuisse constitutos, nimia horum in Clerum indulgentia non parum in causa fuit. Nec dubium est, quin ipse jam Carolus M. *eximia sua animi moderatione, qua SIGONIUS eum (2) Pontificis legendi jus Romanis remisisse, eosque Comitibus antiqua ratione per Clerum, Populumque habere modo sine tumultu ambituque concessisse refert, occasionem huic rei dederit.* De Ludovico I. *fecit, inquit Helmoldus (3) Liberalitate sua, ut E-*

B 5

pisco-

(1) Centur. IX. c. 10. p. 494. & 518.

(2) l. c.

(3) Hist. Slavor. L. 2. c. 4.

piscopos, qui propter animarum salutem Principes sunt cæli, ipse eosdem nihilominus Principes fecerit Regni. Ipse **ONUPHRIUS PANVINIUS** cum indignatione quadam Imperatoribus, scribit (1), Qui Carolo M. successerunt ad eam ignaviam delapsis, ut non solum ejusmodi privilegium (quo scilicet Adrianum I. Carolo M. Episcoporum investituram concessisse retulerat) tueri nollent, sed nec ulla imperii jura curarent, eam occasionem nactus Adrianus III. anno salutis 884. illud quidem quod sub prioribus Pontificibus sensim exoleverat, congregata Synodo omnino antiquavit & abrogavit, instituens, ut in Papæ electionem Imperator se non intramitteret.

S. 9.

Pactum tamen, quo distinctione LXIII. c. 30. juri suo Pontificem constituendi Ludovicus I. renunciasset dicitur, falsum esse atque spurium Laurentius Valla (2) Carolus Molinæus, Stephanus Baluzius aliique eruditi viri jam dudum ostenderunt. Verba Postremi

(1) in Vit. Adriani. I.

(2) de Donat. Constant. M.

stremi in notis (1) ejus ad Gratianum dicta distinct. sunt hæc: *Carolus Molinæus in Notis ad hunc locum putat, hanc concessionem æque falsam esse ac illam quæ sub Constantini nomine circumfertur. Regede ut opinor.* Falsitatis quoque indicium est, quod Sigonius (2) Baronius (3) & Volaterranus (4) licet idem exemplar vaticanum se fuisse secutos fateantur, diversimode illud pactum recensent. Quod itaque Baronius ad decretum Nicolai Papæ ab Henrico IV. productum respondet: (5) *Quale autem decretum est, quod à se ita discrepare videtur, ut quid in eo potissimum credi debeat, ignoretur?* potiori jure ei vicissim obiici potest. Nullam præterea *Aimoinus* aliique Ludovico Scriptores æquales ejus pacti, ut vocatur, mentionem faciunt; Taceo, adeo splendendam esse donationem, illo pacto Pontifici factam, ut omnem fidem superet,

B 6

(1) *Eas una cum suis Cl. Gerhardus von Mastricht Antonii Augustini Libris duobus de Emendat. Gratiani adjecit.*

(2) *Libr. 4. de Reg. Ital. ad ann. 817.*

(3) *Tom. VIII. Annal. Ecclês. ad ann. cit.*

(4) *Libr. 3. Geograph. in Pipini & Caroli M. gestis.*

(5) *Tom. XI. Annal. Ecclês. ad ann. 1059. N. 31.*

ret, credique non possit, tantum pietatis in Pontificem documentum cum maximo detrimento futuri Imperatoris Ludovicum dare voluisse.

§. 10.

Præcipue vero continua, quæ Ludovicus I. cum filiis suis, hi rursus ut & Ludovici II. filii inter sese propter imperii divisionem, sequentesque Imperatores cum Exteris gesserunt bella, Clero Romano licentius agendi locum dedisse, *Platina* in vita *Adriani* non diffitetur, ubi *Adrianus III.* scribit, *tanti animi fuit, ut initio Pontificatus sui statim ad Senatum, Populumque retulerit, ann. scil. Domini 895. ne in creando Pontifice Imperatoris Autoritas expectaretur, ut libera essent & Cleri & Populi suffragia, quod quidem institutum à Nicolao tentatum potius quam inchoatum. Illectum credo hac opportunitate Adrianum quod Carolus Crasus Imperator ab Italia exercitu discedens in Normannos rebelles moverat. Tanti vero intererat Romanos Pontifices Autoritate Imperatorum fuisse constitutos, ut ea neglecta, pessimi*

simi
fue
re,
men
dini
Non
rato
vest
jus
RA
Reg
sens
cum
stus
rem
cont
xit
Led
Unn
quid
auth
rens
salv
adst
lem
pisco

(r) in

fimi semper ad dignitatem Papalem fuerint evedti, factumque hoc tempore, ut *Theodoræ, Marozie, Berthæ & Ermengardis turpissimarum Meretricum* libidini sedes Romana obnoxia fuerit. Non desierunt tamen interea Imperatores Episcoporum in Germania investituram strenue sibi vindicare, cujus memorabile exemplum de *CONRADO I. Crantzius* (1) refert: *Mortuo Reginwarte (Hamburgensi Episcopo) de consensu omnium, tum Cleri tum Populi in locum ejus Ledradus Bremensis Chori Præpositus surrogatus. Cum autem ad Imperatorem Conradum ferulam pastoralem petitum contenderet; itineris Comitem sibi adjunxit Unnonem ejusdem Ecclesie Diaconum. Ledradus in conspectum Regis admisus Unnone quoque adstante, negotium suum, ac quid petat, exponit. Imperator sine sua autoritate electionem factam moleste ferens (sibi enim id Juris Reges hoc seculo salvum esse volebant) posthabito Ledrado adstanti Diacono Unnoni ferulam pastorem, quam manu tenebat, offert, Eunque Episcopi munus sua autoritate gerere voluit, sicque*

(1) in Metropol. 1. 3. 5.

*sicque Ledradus spe sua dejectus nec non
multo rubore suffusus inde discessit.*

S. II.

Otto igitur I. expeditione, in cuius apparatu Pater ejus occubuerat, in Italiam suscepta, Regnoque Italiae, quod Carolus M. Germanis (1) acquisiverat, recuperato, Episcoporum investituram Romanique Pontificis electionem sumto de immorigeris gravi supplicio, rursus exercuit. Johanni enim XII. immanium scelerum reo Leonem VIII. surrogavit, eundemque Benedicto V. Hamburgum relegato in pristinam dignitatem restituit, sed qui propterea à Romanis ad undecimum Mensem Capuæ in vinculis fuit detentus. Illam vero injuriam, ut Imperator ulcisceretur, quæstione, ut *Sigonius* refert, (2) *de ejecto Pontifice Romæ habita, Consules exilio, Tribunos suspendio punivit; Praefectum vero per urbis loca Afino ad ludibrium aversum circumvehi*
ac

(1) id Argumentum supra laudatus *Perillustr. HENRICUS à COCCEJUS* Juris publ. prud. c. VI. solidè, ut consuevit, executus est.

(2) De Regn. Ital. Lib. 7. ad ann. 967.

ac de
ranat
feve
Otto
co Pa
thar
impl
le, h
les ne
guine
Rhe
desc
ritat
rit c
exer
supp
obed
nere
us au
cio a
ratio
ni, q
fereb
teros
XVI
profe

(1) Lib

ac demum virgis caesum tetro carceri mace-
randum tradi iussit. Caveri tamen isto
severitatis exemplo non potuit, quin
Ottone II. primum civili cum Henrico
Patruuele, Imperii æmulo, dein Lo-
tharingico cum Rege Galliæ bellis
implicito *Bonifacius VII. Malefacius il-
le, horrendum Monstrum, cunctos morta-
les nequitia superans, prioris Pontificis san-
guine cruentus*, ut *Arnulphus* Episcopus
Rhemensis in Synodo Rhemensi eum
descripsit, absque Imperatoris aucto-
ritate, *Cincii* potissimum instinctu fue-
rit creatus. Patris itaque Imperator
exemplum imitatus, ut graviorum
suppliciorum metu, cum sua sponte
obedire detractarent, in officio conti-
neret rebelles, omnes seditionis isti-
us auctores convivio exceptos suppli-
cio affici iussit. Verum cum nec ista
ratione territi, *Crescentis Numenta-
ni*, qui (1) *Sigonio* memorante, *agrè
ferebat, imperium jure hereditario ad ex-
teros esse translatum*, consilio *Johannem
XVII.* expulissent, *Otto III.* Romam
profectus, *Crescenti* primum ignovit,
atque

(1) Lib, cit, ad ann. 993

atque Gregorium V. Pontificem constituit, denuo autem rebellem factum tanta graviore pœna excepit. Majestatis enim, eodem scriptore teste, damnatum cum duodecim aliis fœdissimo suspendii supplicio eum affecit, vel, ut alii referunt, (1) vili jumento averfa facie impositum, per Civitatem circumductum, probris affectum, & membris mutilatum cum duodecim sociis ante Urbem suspendi curavit. Gregorio mortuo Otto III. qui rebus in Italia componendis adhuc occupatus erat, *Gerbertum* olim Præceptorem suum *Sylvestri II.* nomine in ejus locum substituit. *Landulphū* quoque *Bonicii Ducis* filium *Gothe-frido Mediolanensis Ecclesiæ* Episcopo defuncto ab eodem Imperatore fuisse surrogatum, *Sigonius* (2) iterum memorat.

§. 12.

Adeo etiam *Henricus* atque *Conradus* uterque Imperator ejus nominis *Ilud*, jus Episcopos Italiæ investiendi sibi afferuerunt proprium, ut in feudum illud

(1) Vid. Magdeb. Cent. X. c. 16.

(2) Lib. 7. ad ann. 990.

illud concesserint rursusque indignis ademerint. HENRICI enim BENEFICIO Heribertum ab Acciago Arnulphi Archi-Episcopi Mediolanensis demortui locum obtinuisse, ejusdemq; autoritate Papponem Patriarcham Aquilejensem fuisse constitutum; CONRADUM vero eidem Heriberto Archi-Episcopo Mediolanensi *Laudensem* Episcopum investiendi jus in feudum concessisse, atque feloniam criminis reo rursus ademisse, *Sigonius* refert (3), *ob id*, (quod Conradum pro Imperatore agnoverat) *Conradus Archi-Episcopum jure eo vel maximo insignivit, ut quemadmodum Mediolanensis Antistes Episcopum Laudensem jure ab Ottone M. accepto sacrabat, sic annulo & virga præbenda institueret.* Et paulo post: *Omnes conjugationis convictos fortunis, bonisque suis nudatos, Civitatibus Mediolano, Laudo, Como, Cremona, Brixiaque dejecit, atque in Germaniam relegavit; Heribertum autem Archi-Episcopum jure Episcopi Laudensibus dandi nuper concesso privavit.* Ambitio tamen atque fastus Pontificum, qui

(1) Vid. Lib. 8, ad ann. 1016, 1019, 1024.

qui Ottonum disciplina vix in officio continebantur, nimia Henrici in Clerum indulgentia, atque belli Burgundici, quo Conradus occupatus fuit, opportunitate, tantum incrementum ceperunt, ut *Benedictus IX. Sylvester III.* atque *Gregorius VI.* tria teterrima *Monstra*, ut *Platina* (1) eos appellat, sedem Papalem simul occupaverint. Decretorum quoque collectio, quæ à *Burchardo* Episcopo Wormatiensi, patria Hassio, circa initium Seculi undecimi facta fuit, ambitionis Papalis non exiguum est indicium. Neque enim controversiæ solum fidei & morum, sed & secularis potestatis æmulatione, causæ quoque forenses in Pandectis illis Papalibus tractantur ac dirimuntur, adeo ut forensis Theologiæ formam, quæ Hierarchiæ Romanæ omnino accomodata est, contineant.

§. 13.

Equidem Henricus III. bellis Bohemico & Hungarico confectis, ingravescentem illam potentiam Papalem reprimere studuit, tribusque quos mem-

(1) in Vita Gregorii Viti.

moravimus Pseudo - Pontificibus in
 exilium eiectionis, Clementem II. alios-
 que creavit Pontifices, insuperque
Sacerdotes, Flamines, Senatum, Populum-
que Romanum se posthac Pontificem Maxi-
imum non capturos, nisi quem Cæsares more Ma-
gorum legerint, teste Aventino, (1) jura-
 re coëgit. Omnibus tamen viribus
 moliti fuerunt Pontifices, ut Impera-
 tores jure, quod in negotiis Ecclesia-
 sticis ipsis competebat, privarent, si-
 bique eos subiicerent. Qui vero pes-
 simorum illorum consiliorum parti-
 ceptus fuit, qui Pontifices instigavit,
 adjuvit, coëgit, *Hildebrandus* est, qui
 ipsemet postea factus Pontifex, frau-
 dibus artibusque variis potentiam Pa-
 palem ad illud fastigium perduxit, ut
cum antea, verba sunt Machiavelli, (2)
Pontifices ab Imperatoribus soliti fuissent
confirmari, ipsi nunc ceperint opus habere
Pontificum confirmatione & Autoritate, per-
dideritque imperialis dignitas existimatio-
nem suam, acquisiverit Pontificia, & his ar-
tibus deinceps Principibus Politicis se præ-
tulerit. Harum rerum fides ex vita
 C 2 ejus

(1) Lib. 5. Annal. Bojor. p. 323.

(2) Lib. 1. Hist. Florent.

ejus Pontificis, quam sequenti Sectione exponemus, plenius atque luculentius constabit.

SECTIONIS SECUNDÆ.

CAP. I.

Qua

Vita GREGORII VII. ante adeptam dignitatem Papalem exponitur.

§. 1.

Vitam Gregorii VII. hac Sectione exposituri, duobus eam comprehendemus Capitibus, quorum præsens res ejus, quas ante adeptam dignitatem Papalem, sequens vero quas Pontifex factus gessit, exhibet, præcipuis nugis atque fabulis, quæ de hoc Pontifice referuntur, plane omisissis.

Gregorius hic VII. Hildebrandus alias dictus, humili loco (1) Bonizio Fabro

ligna-

(1) *ita Crantzius aliique Scriptores quos vid. tom. X. Concil. scribunt; Augustinus Oldovinus vero in novis additionibus ad vitas & res gestas Pontif. Rom. fol. 855. Maimb. in libello de la Decadence de l' Empire. l. 3. p. 218. & Aut. Notarum ad Pauli Sarpii Libell. de Re beneficiaria art. 22.*

lign
urb
un c
bus
Sien
occ
Ref
alio
pue
fiste
sciv
dispe
tur a
non
tio,
cini
lim
vice
lietis
Urba
ctrin

(qui
p. 49
genu
rum
(1) de
(2) To
(3) ad
(4) Pf.

lignario fuit natus Soanæ, Hebrurix
 urbe, quæ Siennensi Episcopo subest,
 unde Veteribus quibusdam Scriptori-
 bus, ipsique Paulo Sarpio, (1) qui
 Siennensem eum appellant, errandi
 occasionem datam fuisse, existimo.
 Referunt Baronius, (2) Brietius (3)
 alique, Hildebrandum cum admodum
 puer ad pedes patris ligna dolantis lu-
 sisset, segmenta lignorum, cum ne-
 sciverit literas, casu eum in modum
 disposuisse, ut oraculum (4) *Dominabi-
 tur à mari ad mare* fuerit expressum;
 non sinistro omine, si vera est narra-
 tio, eum Christo, quem dictum Vati-
 cinium solum respicit, propria sibi o-
 lim vindicaturum atque Anti-Christi
 vices impleturum. Patriis laribus re-
 lictis in cœnobio Cluniacensi, ex quo
 Urbanus II. & Paschalis II. alique do-
 ctrinæ Hildebrandinæ sectatores stre-
 nuè

C 3

(qui in Act. Erudit. Lips. ad ann. 1684. p. 497. Coll.
 p. 490. Richardus Simonius creditur) Hildebrandi
 genus, ex antiqua Aldobrandescorum & Pitiliano-
 rum Soanensium Comitum familia deducunt.

(1) de re beneficiaria art. 22.

(2) Tom. XI. p. 418.

(3) ad ann. 1083.

(4) Pf. 12.

nui quoque prodierunt, vitæ se dedit
 Monasticæ, ad minimum egressus an-
 num quintum decimum, quippe quo
 nondum impleto apud Cluniacenses
 recipiebatur nemo (1) Verum ma-
 jora longe meditabatur, quam Asceti-
 cum istud vitæ genus, relictoque
 Cluniaco Romam se contulit, ubi *Gria-
 tiani* (2) postea Gregorii Viti, Benedi-
 cti IX. atque Laurentii cujusdam
 Archi-Episcopi, hominum sceleratis-
 simorum Doctrina atque familiari con-
 sortio fuit usus (3) Certe Benedictus
 IX. ex eorum numero est, qui ut *præ-
 ced. Sect.* jam dictum, Pontificatum si-
 mul invaserant, atque à *PLATINA*
tria deterrima Monstra, BARONIO
(4) Invasores, Pseudo-Pontifices, triceps
Bestia. Cerberus ex portis inferni emergens
 non immerito insigniuntur. Memorat
Petrus Damiani (5) hunc Benedictum
 Humberto cuidam post mortem, quo-
 ad aures & caudam Afini, cetera
 Ursi

(1) Nat. Alex. Hist. Eccles. Tom. VI. c. 5. art. 5. p. 144.

(2) Sigonius de Regn. Ital. L. 8.

(3) Benno Lib. 2.

(4) Tom. XI. p. 144.

(5) Lib. I. Epist. 2. ad Nicolaum II.

Ursi specie apparuisse; eadem scilicet ratione, qua Ulyssis Socios in porcos, Ursos aliasque bestias mutatos fuisse, fabula fert, ipso *Petro Damiani* paulo post interprete: *Sed cum ego cur ille in hac specie conspectus sit, indaginem quero, non deesse mysterium ab eo, quod visum est, deprehendo. Nam quia miserabilis ille ab ipso funesto Pontificatus sui primordio usque ad finem vite in luxurie ceno versatus est, non incongrue visus est ab auribus incipere & in caudam Asini desinere. Asinus quippe luxurie est animal, jure igitur qui carnaliter vixit in Asini simul & Ursi figura comparuit.* Mirum itaque non est, quod Imperatores creandi potestatem sibi jam arrogaverit illud hominis Monstrum, corona imperii post *Conradi II.* obitum ad *Petrum Hungariae Regem* cum hac inscriptione missa.

Petra dedit Romam Petro, Tibi Papa Coronam.

Facta insuper lege, (1) *ne quisquam audacter Romani Imperii Sceptrum preperus gestare Princeps appetat, seu Imperator dici, nisi quem Papa sedis Romanae de-*

C. 4. 16

(1) Radolphus Glaber. Hist. Lib. I. in f.

legerit morum probitate aptum Reipublicæ, eique insigne Imperii commiserit. Gregorius VI. licet trium terrimonium istorum, inter quæ *Platina* eum refert, Monstrorum numero eximatur à *Baronio* atque | pro | legitimo habeatur Pontifice, ceteris tamen nihilo fuit melior. In frequenti enim *Episcoporum*, scribit *Sigonius*, (1) Concilio de cooptatione *Gregorii*, quæ vulgo jactabatur agitatum, & cum pecuniam intercessisse certis argumentis probaretur, omnium consensu vitio factum Pontificem pronunciatum, quo decreto audito *Gregorius* consternatus statim desua sede profiliit ac Pontificalibus vestimentis abjectis humi prostratus delicti veniam postulavit. Sed ideò forsan legitimis eum Pontificibus *Baronius* accenset, quia investituræ *Episcopalis* Jus Imperatoribus eripere atque Clerum Romanum illorum obsequio subducere seditiosa, quam *Wilhelmus Malmesburiensis* refert, (2) oratione studuit. Laudatus est, ita *Gregorius* dixisse memoratur, olim prædicandæ memoriæ Prædecessor noster *Adrianus*

(1) Lib. 8. ad ann. 1046.

(2) de Gest. Reg. Angl. L. 2. c. 13.

*drrianus I. quod investituras Ecclesiarum
 Carolo M. concesserit, ita ut nullus Electus
 consecratur ab Episcopo, nisi prius a Rege
 insigniretur & annulo & baculo. Contra
 laudatur in nostri Seculi Pontificibus, quod
 has donationes tulerunt (auferre studie-
 runt) Principibus. Poterat tunc rationa-
 biliter concedi, quod nunc laudabiliter de-
 bet auferri. Cur ita? quod erat animus
 Magni adversus avaritiam invictus, nec
 facile invenisset aditum aliquis nisi intras-
 set per ostium. Præterea per tot terrarum
 interstitia nequibat requiri sedes Apostoli-
 ca, ut non cuique electo accommodaret as-
 sensum suum, dum esset prope Rex, qui ni-
 hil per avaritiam disponderet, sed juxta Sa-
 cra Canonum scripta religiosas personas Ec-
 clesis introduceret. Nunc omnia Palatia
 Regum luxus & ambitus occupavit &c. Ut
 vero Baronius Gregorium VI. qualis
 fuerit, ex discipulo ejus Hildebran-
 do, quem summis evehit laudibus,
 tanquam Leonem ex unguibus, Magistrum
 ex discipulo æstimari jubet (1), ita
 vicissim nos Gregorio VI, pessimo, ut
 C 5 vidi-*

(1) ad ann. 1044.

vidimus Magistro, discipulum ejus Hildebrandum non disimilem fuisse, non sinistre jam ominati erimus. Non enim Hildebrandum Magistri sui vestigiis solum inhæsisse, sed & multis parasangis eum malitia superasse, cognoscemus ex sequentibus.

§. 2.

His suis Magistris ingenium studiumque ad Pontificum Romanorum potentiam stabiliendam ita probavit Hildebrandus, ut à Gregorio VI. Ecclesiæ Romanæ Sub-Diaconus jam (1) constitutus omniumque fraudulentorum consiliorum, quibus Imperatorum jura evertere studebant, fuerit particeps factus; undè & cum Gregorio VI. Henricus eum in exilium in Germaniam eiecit, locumque commorandi in aula sua (2) concessit. Verum anguem in sinu fovit. Non enim Imperatoriæ Aulæ mores solum, quod maxime ejus intererat, cognoscere studuit Hildebrandus, sed & consilia quæ agitantur, probe explorata Benedi-
cto

(1) ad ann. 1044.

(2) vid. Cent. Magdeb. Tom. XI. c. 10. p. 135.

cto IX. qui post discessum Henrici ex Italia Romam subinde redibat, prodidit (1.) Gregorio VI. in exilio tandem mortuo, Hildebrandus omnium ejus bonorum ex affe heres in Cluniacense Monasterium, quod fraudum atque malarum artium Palaestra tunc erat, multisque propterea à Leone IX. Nicolao II. Alexandro II. sequentibusque Pontificib9 privilegiis fuit auctum, reversus, *Prioratus*, ut vocant, proximum ab Abbate locum obtinuit. Interea vero dum in isto Cœnobio commoraretur, idque meditaretur unice, quibus artibus Papale Imperium stabiliret, accidit ut *Clementi II.* atque *Damaso II.* quorum ille *veneno petitus*, ut *Crantzius* scribit, (2) *arte Magistra Italarum*, nono mense, hic vigesimo tertio à consecratione die, obiit, Bruno Episcopus Tullensis *Leo IX.* dictus ab Imperatore fuerit surrogatus. Solius autem Imperatoris auctoritate id factum esse, ægerrimè tulit Hildebrandus, cumque *Leo Romanus* profecturus Cluniacum divertisset,

(1) Magd. c. 1.

(2) Metrop. L. 5. §. 120.

set, investituram, quam ab Imperatore acceperat, dubiam ei fecit, neque à Romanis se receptum iri suggerit, nisi vestitu Papali deposito, denuo ab illis se eligi curaret, quam in rem *Sigoni* (1) verba adscribi merentur: *Bruno, Tullensi oppido, quod est in Burgundia egressus, Cluniacum venit, ibi Hildebrandus ex Tuscia Monachus, qui postea Pontificatum adeptus Gregorius VII. est appellatus, vir commemorabili pietate atque doctrina præditus, hominem admonuit, ne tam Sacrosanctam dignitatem profani hominis arbitrio delatam iniret, nisi ante suffragiis Cleri Populique Romani antiquo instituto tristi Damasi eventu edoctus, permetteret. Quod ubi vir sanctus audivit, continuo purpuram dimisit & peregrini habitu sumto atque ipso secum Hildebrando abducto ad urbem sic contendit, Romanamque ingressus, Comitibus, ut de se rite haberentur, postulavit; ibi Clero Populoque consentiente atque imprimis ipso etiam monacho Hildebrando favente Pontifex & pridie Idus Februar. consecratus Leo IX. est appellatus. Romam itaque Hildebrandus hac occasione reversus, una cum*

Bene-

(1) Lib. 8. ad ann. 1049.

Benedicto IX. cui Leonis IX. amicitiam conciliauerat, pessima huic Pontifici consilia suggestit. *Petrus Damiani* valde notat (1) *Leonem* propter bellum quod Normannis intulerat, armorum vim ab Episcopali munere plane alienam esse, docens. At Hildebrando & Benedicto instigantibus bellum istud Leonem non solum suscepisse, sed & iisdem proditoribus infeliciter gessisse, seque ipsemet tandem captum fuisse *Benno* tradit (2.) Iudicii quoque in Episcoporum causis eosque damnandi aut deponendi potestatem Imperatoribus, ut Sect. præced. vidimus, hæc tunc relictam, ad Pontificem Romanum solum spectare Leo hic IX. contendit, ut ex Epistola ejus IV. ad Petrum & Johannem Episcopos Africanos apparet. *Sed hoc vos non lateat, inquit, non debere præter sententiam Romani Pontificis Universale Concilium celebrari aut Episcopos damnari aut deponi. Quia etsi liceat vobis aliquos Episcopos examinare, definitivam tamen sententiam absque consultu Romani*

(1) Lib. 4. Epist. ad Olericum Episcop. Firmian.

(2) Lib. 2.

mani Pontificis, ut dictum est, non licet dare, quod in sanctis Canonibus statutum, si quaeritis, potestis invenire, scilicet quia omnium Ecclesiarum majores & difficiliore causa per sanctam & principalem Beati Petri sedem à Successoribus ejus definiendæ sunt, ut pote cui divinitus dicitur: *Confirma fratres tuos & tibi dabo claves Regni Cælorum.* Verum eidem Hildebrando hæc potius esse accepta ferenda, dubium non est, quippe qui Jus illud in Episcopos præcipue urisit, atque ad solos Pontifices pertinere articulo tertio & quarto Dictionum suorum sancivit. Quicquid Leo præterea contra Episcoporum Investituram egit, id disertè Crantzius Hildebrando adscribit: (1) *ejusdem (Hildebrandi) inquit, usus consilio Simoniacos (à Principibus secularibus constitutos) & adulteros (uxoratos) Clericos duabus in Synodis Romæ habitis acerrime est persequutus.* Imo omnium quæ Leo gesit Hildebrandum participem fecisse atque Auctorem ex Chronico Bambergensi *Magdeburgenses* (2) referunt:

Leo

(1) in Saxonia Lib. 4. cap. 42.

(2) *Cent.* XI. c. 7. p. 375.

Leo IX. Pontifex electus mox Hildebrandū
 Monachum Diaconum Cardinalem creat, ei-
 que S. Pauli Ecclesiam gubernandam com-
 mittit, ut quasi CONSORS PONTIFICII
 MUNERIS secum videretur, cum alter Pe-
 tri alter Pauli templum tueretur & regeret.
 Sed &c, cui præ ceteris maximè inten-
 tus fuit, Hildebrandus pecuniæ, rerū
 agendarum nervo, corradendæ occa-
 sionem sub hoc Pontifice nactus est.
 Cardinalis enim S. R. E. Sub-Diaconus,
 Abbas S. Pauli, atque OECONOMUS
 (1) (custos dicit Benno (2) Altaris Pe-
 tri) creatus, Judæo, ut idem Scriptor re-
 fert, adhibito, qui nummis negotiaretur, lo-
 culos brevi implevit.

§. 3.

Cum non haberent Romani, quem
 è suis, Leoni defuncto sufficerent, aut
 id facere non auderent, Hildebrandus
 ad Pontificem ab Imperatore petendū
 missus, Gebhardum Episcopum Eich-
 stätensem, qui Victor II. fuit appella-
 tus, postulavit (3), apud quem ea de
 causa plurimum deinceps Autoritate
 valu-

[1] Onuphrius Panvinius de Pontif. R. in Gregor. VII.

(2) d. l.

(3) Sigon. de Regn. Ital. L. 8. ad ann. 1054.

valuit. Fuit enim ab eo Pontificè R. E. Archi-Diaconus constitutus, (1) atque in Galliam anno 1055. ablegatus, ubi duo Concilia celebravit, Lugdunense & Turonense, in quorum priori Papalis autoritatis prætextu, suam potius causam egit, potestatemque Episcopos pro lubitu removendi exercuit. *A Victore Papa,* inquit, *Petrus (2) Damiani, Apocrisarius ad Gallias destinatus Synodum congregavit in qua videlicet sex Episcopos diversis criminibus involutos ex Apostolicæ sedis autoritate deposuit.* In posteriori Berengarium, cujus Doctrina à Leone IX. in Romana atque Vercellensi, ab Henrico item Rege Galliæ in Parisiensi Synodis erat condemnata denuo sententiam suam abjurare coëgit, idemque Papa factus, formula

[1] Ita enim *Guizmundus* L. 3 deinde per hunc ipsum, qui nunc præest, Dominum Gregorium Papam tunc ARCHI-DIACONUM ejusdem R. sedis in Concilio Turonensi convicit [Berengarium] & *Anonymus Chiffletianus*, quem citat Natal. Alex. ad Sec. XI. dissert. I. art. 13. Victor, misso in Gallias Legato Hildebrando tunc ARCHI-DIACONO & c. Onuphrius autem Panvinius l. c. à Nicolao demum II. eam dignitatem Hildebrandum obtinuisse scribit.

[2] Lib. I. Epist. 9. ad Nicolaum II.

mula in super Berengario, in quam juraret, quæque *Seçt. præced.* à nobis recensita fuit, præscripta, rursus fecit. Urstifii itaque errori, qui Hildebrandum Berengarii Doctrina primum favisse refert, atque *Petrum Allixium* (1) ut idem asserat, induxit, occasionem proculdubio dedit, quod Hildebrandus in memorato Concilio Turonensi libertatem, ut se defenderet, Berengario reliquerit, & in Concilio Romano anno 1079 habito, tutum ei reditum promiserit, anathemate pronunciato in eos, qui violentas ei manus inferre ausi fuissent (2). Ex Gallia redux à Victore II. ad Henricum III. fuit missus, quo tempore *oportune*, scribit *Cranzjus* (3), accidit, ut, Imperator gravi laborans morbo, quo etiam periit, Henricum filium puerum Octennem, Hildebrandi Cardinalis auctoritate fretus Romanorum Regem ac Cæsarem dixerit, atque Hildebrandi ex Epistola ad Rudolphum Sueviæ Ducem verba, quibus ipsemet factetur, sua auctoritate Henricum IV.

D

ele-

(1) Annot. ad Hist. Eccles. p. 92.

(2) Dupin. Hist. Script. Eccles. Tom. 8. p. II.

(3) in Saxonia Lib. 4. in f.

electum fuisse in Imperatorem, citat: *Unde nobilitatem tuam scire volumus, quia non solum circa Regem Henricum, cui debitor es sumus, eog: ipsum in Regem elegimus &c.* Sed fabulæ! quas *Hermannus Contractus, Lambertus Schaffnab. Sigebertus Gemblac.* aliique tacent; Solus *Marianus Scotus, Romani Pontificis* (de Hildebrando altum silentium) *tunc presentis ceterorumque Pontificum ac Principum electione Henricum Regem constitutum fuisse memorat.*

§. 4.

Eam sibi jam tum apud Romanos auctoritatem conciliaverat Hildebrandus, ut Victore Florentiæ, ubi in reditu in Italiam substiterat, mortuo, citius absque Imperatoris, quam ejus consensu Papam creare voluerint, rati, in ejus adventum electionem Pontificis differendam esse (1). Neque dubium est, quin *Stephanus IX.* licet Roma tunc abfuerit Hildebrandus, ejus tamen consilio & auctoritate fuerit electus. Certe legatione ad Imperatorem, cujus tutelam Augusta gerebat, lu-

(1) Sigon. l. c.

suscepta, *Stephanum*, quod non expectato Imperatoris consensu fuerit electus, excusare studuit. Maximè vero rebus Hildebrandi *Stephani* hujus electione fuit consultum, quippè cujus frater Gothofredus potens erat Toscaniæ Comes, atque cum uxore sua Mathilde Hildebrandi consiliis perficiendis præcipuum deinceps momentum attulit. Credulus valde hic Pontifex fuit, facileque ab Hildebrando sibi imponi ejusque arbitrio omnia geri passus est. Ita enim ipse Pontifex Epistola, quæ extat unica (1), ad *Gervasium*, Rhemensem Episcopum, inter aliâ rescribit: *De Bituricensi Archi Episcopo, quia dilectus filius noster Hildebradus, cui illius causa maxime nota est, abest, hoc tantum respondeo, quod eo revertente & te cum illo ad nos veniente, tam ex hoc quam ex aliis Ecclesiasticis negotiis consilium habebimus.* Dubium etiam non est Hildebrando rursus auctore fuisse suscepta, quæ Pontifex hic in causa investituræ Episcopalis contra Imperatorem molitus est. Blandis enim verbis Imperato-

D₂

(1) integram eam exhibet Duchesne *Hist. Script. Franc. Tom. IV,*

ratores, ut beneficiorum officiorum-
 que Ecclesiasticorum dispensationem
 soli pontifici relinqueret, Gregorius
 inducere studuit. An. 1058. refert *Chro-
 nicon Mansfeldense* cap. 177. hielt der jung
 ge Kaysler Hoff zu Merseburg / dahin
 kam zu ihm Abt Hildebrand / des Röm-
 mischen Stuhl Erz-Diacon, ein abge-
 feimter Bube und verzweifelter loser
 Zeuberer / brachte etliche Päpstliche Be-
 fehle den jungen Kaysler mit listigen
 Worten einzunehmen / daß er bewillig-
 en solte / daß keine geistliche Aempter
 von jemand anders dann von dem
 Pabst verleyhen werden solten / damit
 ja also der Kaysler ald hergebrachte Pri-
 vilegia, darüber Kaysler Heinrich der
 Dritte so steiff gehalten / geschwechet und
 ihnen gar aus der Hand gerissen wer-
 den möchte / und also der Pabst allen-
 thalben seinen Willen zuschaffen / Platz
 und Raum gewönne. Es ist aber hier
 auff keine endliche Antwort gefallen.
 Hac itaque fraude frustra tentata,
 Henrico, ut indigno, jus illiud
 Ecclesiasticum postea auferre conten-
 derunt. Memorat enim Sigonius

(1)

(1)
 ma
 Hen
 decr
 cons
 sang
 hæc
 Imp
 vos
 tum
 rati
 nen
 cita
 rita
 obte
 giti
 ter
 in
 te
 & I
 hær
 cum
 acco
 gna
 mis
 Mag

(1) d.
 (2) C

(1) quod Stephanus quatuor Menses Romæ moratus, Henricum primus Simoniacæ Hæreseos insimulare ac factum ejus aspero decreto notare non dubitaverit, & novis constitutionibus Clericorum conjugia & consanguineorum interdixerit. In eum vero hæc tendebant finem, ut Episcopos ab Imperatore constitutos expellendi nosque pro lubitu substituendi prætextum nanciscerentur. Eo enim hac ratione potiti, non diu post Mediolanensis Ecclesiæ, ut quæ jam pridem, teste citato Scriptori, Romanæ Ecclesiæ autoritate relicta, præceptis ejus haud quaquam obtemperabat, Episcopos tanquam illegitimos accularunt, atq; sic exitiale inter illos excitarunt Schisma; quo in Ecclesia Mediolanensi flagrante Hildebrandum passim per Italiam & Burgundiam Ecclesias Simoniaca hæresi, i. e. Episcopis, qui Ecclesiasticum munus à Laico non à Pontifice acceperant, infectas purgasse, magnamque pecuniæ vim, data illegitimis se redimendi potestate, coëgissee, *Magdeburgenses* referunt (2). Quod ve-

D 3 ro

(1) d. l. ad ann. 1057.

(2) Cent. XI. c. 10.

ro maxime è re sua erat, ne se in consulto deinceps constitueretur Pontifex, Hildebrād9 sibi caveri prospexit. Quoniā ego, ita Stephanū Episcopos, Clerum Populumque in templum convocatos allocutum fuisse refert Sigonius, (1) *in Thusciam ad fratrem meum cogito, peto à Vobis, ut, si antequam Hildebrandus ab Imperatrice Legatus redeat, mihi mori contigerit, in ejus usque adventum Comititia differatis, atque ex ejus demum consilio Ecclesiam ordinetis.* Ejusdem decreti Petrus Damiani Epistola IV. Lib. 3. facit mentionem, indeque Johannem Miniciū, Benedictū X. (de hoc enim & Nicolao II. non Cadaloo & Alexandro II. ut Augustinus Cajetanus Epistolarum Damiani Editor vult, intelligendam esse eam Epistolam Natalis Alexander existimat (2),) illegitime, quia absque consensu Hildebrandi, electum fuisse contendit.

Benedictus vero X. cujus modo fecimus mentionem, post Stephani obitum à factione Comitum Tusculanorum, dum Hildebrandus legationem in au-

[1] Lib. 9. ad ann. 1058.

(2) Hist. Eccles. ad Sec. XI. c. 1. art. 9.

la Im
cui E
acrit
studi
funct
effec
tinus
ne, fr
favor
tibus
rator
fiden
Apos
lis S.
vice
Pont
ut m
tuer
noru
lao I
se (2
ctum
cert
di co
pern

(1) Or

(2) Lib

(3) in

la Imperatoris obiret, fuerat electus; cui Hildebrandus in Italiam reversus acriter se opposuit, atque factionis suæ studio, inprimis vero Gothefrido, defuncti Pontificis fratre, opem ferente, effecit, ut Gerardus Episcopus, Florentinus ad Pontificatum, Nicolai II. nomine, fuerit euectus. Hujus sui Clientis favore, ipse vicissim summis dignitatibus fuit admotus, teneraque Imperatoris ætate spreta, molimina sua confidentius nunc exseruit. Sedis enim Apostolicæ Archi-Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica fuit creatus, vicemque insuper Cancellarii sub eo Pontifice gessit⁽¹⁾, qua ratione factum, ut nihil se inscio aut inconsulto potuerit suscipi. Eos tamen honorum gradus Hildebrandum Nicolao II. vi minisque militum extorsisse⁽²⁾ *Benno* scribit. Ut ut vero id factum, hoc *Mornæi* quoque sententia⁽³⁾ certissimum est, Nicolaum Hildebrandi consiliis fuisse actum, eoque autore perniciosissimum illud decretum, quod

D 4

di-

(1) Onuphr. Panvin. de Pontif. Rom. in Nicol. II.

(2) Lib. 2.

(3) in Myster. iniquit. p. 234.

distinct. 22. c. 1. habetur, tulisse. Jus in illo decreto eligendi Pontificem Romano Imperatori penitus adimitur, atque in Clerum Populumque Romanum transfertur, ita, ut præcipua in hoc negotio partes Cardinalibus reliquantur; unde liquet, solis Cardinalibus, ut *Machiavellus* existimat (1) potestatem eligendi Pontificem à Nicolao non fuisse concessam, cum nec in casu quidem necessitatis, si Romanum Pontificem extra Urbem Romam eligendum, tempora postulassent, solis Cardinalibus electio Pontificis concedatur, sed una cum Clericis Catholicis Laicisque, etsi paucis, peragi eodem decreto §. 5. jubeatur. Quando vero Cardinalibus solis ea potestas, qua hodie gaudent, eligendi Pontificem fuerit acquisita, *Onuphrius Panvinius* exponit (2), id jus (Pontificis eligendi) inquit, postremo *Gregorius VII.* *Henrico IV.* ademptum Cardinalibus & Clero S. P. Q. R. primum, deinde alii Pontifices, qui secuti sunt, Cardinalibus tantum permisere. De investitura ceterorum quoque Episcopo-

(1) Lib. 1. p. 23. Hist. florent.

(2) in Paschali II.

pisco
statu
nec a
petit
cum
sert
Nico
cede
posse
dria
M. a
ficia
rit ca
illud
quis
accip
mov
um.

F
cest
nic
dus
Cur
Imp
Hon
scop

(1) L

piscoporum in memorato decreto ita
statuitur; *ne inier Episcopos habeantur, qui
nec a Clericis sint electi, nec a Plebibus ex-
petiti, nec a Com - provincialibus Episcopis
cum Metropolitanis iudicio consecrati.* Di-
fertius ea de re scribit Sigonius (1), à
Nicolao fuisse decretum, non modo non mer-
cede, sed neque gratuito Laicum quenkum
posse impertire Ecclesias, quod vetere Ha-
driani & Leonis decreto Carolo atque Ottoni
M. ob eximia illorum erga Ecclesiam bene-
ficia, temporibus Ecclesie ita ferentibus, fue-
rit condonatum, hisque verbis decretum
illud conceptum fuisse memorat; *Ne
quis à Laico Ecclesiam aut pretio, aut gratis
accipiat, neque per Simoniacam hèresin pro-
moveatur ad quodlibet Ecclesiasticum officii-
um.*

§. 6.

Felici hoc moliminum suorum Suc-
cessu elatus, non occultis amplius cu-
niculis, sed aperto Marte Hildebran-
dus sub Alexandro II. agere cœpit.
Cum enim ab Agnete Augusta, quæ
Imperatoris gerebat tutelam, Cadalous
Honorius II. appellatus, precibus Epi-
scoporum Longobardorum in Synodo

D 5 Basi-

(1) Lib. 9. ad ann. 1059.

Basileensi Nicolao defuncto esset suffe-
ctus, Hildebrandus è contrario An-
selmum Bædagium, Episcopum Luc-
censem, Gothefridi auxilio (1) atque
Normannorum armis (2) Pontificem
Alexandri II. nomine constituit, sum-
maque pertinacia defendit. Misso
enim Hannone Archi-Episcopo Colo-
niensi, qui Imperatoris nomine in
causam illam inquireret, strenuum
Alexandri Clientis sui Patronum egit,
perfrictaque fronte jus eligendi Pon-
tifices Imperatoribus negavit, quam
disceptationem verbis *Naucleri* referre
operæ pretium erit (3): *Quo factum est
modo (Hanno quæsiuit) Mi frater Ale-
xander, ut præter servatos hætenus mores,
præter legem olim Romanis Pontificibus
præscriptam, Pontificatum à Rege & Domi-
no meo Henrico injussus acceperis, & inci-
piens à Carolo, multos nominavit, à quibus
Pontifices vel electi fuere vel confirmati aut
eorum ab his electio affirmata. Parantem
plura dicere, Hildebrandus Archi-Diaconus,
cætu*

(1) Sigon. Lib. 9. ad ann. 1061.

(2) Avent. Annal. Bajor. L. 5. p. m. 332. & 333.

(3) Generat. 36. Conf. Sigou. L. 9. ad ann. 1062.

cœtu Cardinalium annuente, respondit: Nullum unquam Jus, nullum imperium, Hanno Archi-Episcopo, Regibus & Imperatoribus Romanis in Pontificis Romani electione fuit, & si quid per vim, si quid perperam actum sit, censura postea Patrum correctum est. Effecit præterea Hildebrandus, ut omnia Nicolai II. & præcedentium Pontificum acta hic Pontifex confirmaverit, denuoque, ne per Laicos ullo modo quilibet Clericus vel Presbyter obtineret Ecclesiam nec gratis nec mercede decreverit (1). Imo inaudito Exemplo Imperatori, quod divorcium cum Bertha eum facturum intellexisset, non solum vim Ecclesiasticam Alexander minatus est, sed & simoniæ crimine ei objecto, diem ad causam dicendam ei dixit (2). Omnium vero istorum moliminum aliorumque pessimorum consiliorum auctorem fuisse Hildebrandum, Sigonius non diffitetur. Hildebrandi enim Cardinalis virtute ac sapientia tum Pontificatum gubernatum (3) ejusque opera non Athonem solum Ecclesie

Media

(1) Causa, 16. q. 20.

(2) Otto Frisingens. Lib. 6. c. 34.

(3) Lib. cit. ad ann. 1072.

Mediolanensis Antistitem fuisse datum, sed
 & Ermlandium ejus auxilio decretum obti-
 nuisse, quo sanciebatur, non esse justum
 Antistitem quem Clerus aut Populus aut
 Rex injusfu Pontificis declarasset, memorat
 (4). Ingenue quoque, uti plerumque
 solet, id fatetur Dupinius (5) cujus ver-
 ba ita reddimus: interea dum Petrus Da-
 miani Ecclesie reformandae operam daret,
 Hildebrandus Archi-Diaconus, qui res se-
 dis Romanae suo solius arbitrio administra-
 bat, omnem lapidem movit, ut politicum im-
 perium stabiliret; Auxilio Gothofridi Mar-
 chionis Toscaniae & Principis Matbildis
 Normannos Apulia ejecit, coegitque ut
 multas sibi cederent Urbes. Multos quo-
 que Galliae & Burgundiae Principes se Ec-
 clesiam defensuros, jure jurando adegit.
 Wilhelmum Ducem Normanniae instigavit,
 ut Eduardo mortuo, occuparet Angliam.
 Uno verbo, Alexander Pontifex **CONTRQ-
 VERSIAM DE INVESTITURA** cum
 Henrico cepit, eaque de causa eum Romam
 ad causam dicendam citari jusfit. Omni-
 um vero eorum auctorem credimus Hilde-
 brandum, quia constat, ipsum potius guber-
 nasse

(1) Lib. cit. ad ann. 1067.

(2) Biblioth. Script. Eccles. Tom. XI, c. 4.

nasfe, Pontificatum Alexandri nomine, qui vitam ducebat obscuram & frequentius Lucæ aut in Monte Casino, quam Romæ erat. Mittimus, quæ Benno de Alexandro verberibus excepto & in carcerem, in quo misere obiit, ab Hildebrando coniecto refert, atque ad res ejus, quas Pontifex factus gessit, majoris momenti, sequenti capite recensendas, properamus.

CAP. II.

DE

Rebus HILDEBRANDI seu GREGORII VII.

quas

Pontifex factus gessit.

§. I.

Post Alexandri II. mortem cum auctoritatem suam Hildebrandus sic satis, ut contradicere ei auderet nemo, stabilisset, ipse nunc ad Pontificatum aspiravit, decimoque Calendas May MLXXIII. quo Alexander

xander sepultus erat, die, Pontifex fuit declaratus, quod, etsi non expe-
 cato Imperatoris consensu, communibus tamen Cardinalium, Cleri, Populique totius suffragiis factum fuisse, sedis Romanæ Adulatores contendunt, atque in ejus rei fidem hoc decretum (1) ostentant: *Regnante Domino Nostro JESU CHRISTO, anno Clementissimæ incarnationis ejus Millesimo Septuagesimo tertio, Indictione & Luna Undecima, X Calendæ May, feria secunda, die Sepulturæ Domini Alexandri bonæ memoriæ secundi Papæ, ne sedes Apostolica diu lugeat, proprio destituta Pastore, congregati in Basilica Beati Petri ad vincula, Nos, Sanctæ Romanæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Cardinales, Clerici, Acoluthi, Sub-Diaconi, Presbyteri, præsentibus venerabilibus Episcopis & Abbatibus, Clericis & Monachis, consentientibus plurimis turbis utriusque sexus diversique ordinis, acclamantibus, eligimus Nobis in Pastorem & Summum Pontificem Virum religiosum, geminæ scientiæ prudentia pollentem, æquitatis & justitiæ præstantissimum amatorem, in adversis fortem, in prosperis*
 tem-

(1) Tom. XXVI. concil. General, fol. 8.

tem
 mor
 briu
 bene
 clesic
 & d
 Dia
 Hila
 quen
 dici
 mus
 tis ex
 mus
 Ind
 is, u
 tori
 gon
 vitu
 ad
 ctur
 Abb
 dus
 G
 L
 M
 [1] L
 [2] L

temperatum, & juxta Apostoli dictum bonis moribus ornatum, pudicum, modestum, sobrium, castum, Hospitalem, Domum suam bene regentem, in gremio hujus Matris Ecclesie à pueritia satis nobiliter educatum & doctum atque pro vite merito in Archidiaconatus honorem usque hodie sublimatum; Hildebrandum videlicet, Archidiaconum quem à modo usque sempiternum & esse & dici Gregorium Papam & Apostolicum volumus & approbamus. Placet vobis? Vultis eum? Volumus. Laudatis eum? laudamus. Acta Romæ, decimo Kalend. May Indictione uudecima.

Aliis atque aliis, ut in scriptis supposititiis & adulatoriis fieri solet, hoc decretum à Sigonio (1) aliisque refertur. Sed & invitum se, quod Judæus Apella credat, ad suscipiendum Pontificatum coactum fuisse in Epistola ad Desiderium Abbatē Cassinatensem ipse Hildebrandus conqueritur. ita vero scribit: (2)

*Gregorius in Romanum Pontificem electus
Desiderio Abbati Monasterii Sancti Benedicti*

Montis Cassini salutem in CHRISTO JESU.

Domini

(1) Lib. 9. ad ann. 1073.

(2) Lib. 1. Epist. 1.

Dominus noster Papa Alexander mortuus est, cujus mors super me cecidit, & omnia viscera mea concutiens, penitus conturbavit. Nam in morte quidem ejus Romanus Populus contra morem ita quievit & in manu nostra consilii frena dimisit, ut evidenter apparet ex DEI misericordia hoc provenisse, unde accepto consilio hoc statuimus, ut post triduanum jejunium, post Litanias & multorum Orationes, Eleemosynis conditas, divino fulti auxilio, statueremus, quod melius de Electione Romani Pontificis videretur. Sed subito cum prædictus Dominus noster Papa in Ecclesia Salvatoris sepulture traderetur, ortus est magnus tumultus, populi & fremitus, & in me quasi vesani insurrexerunt, ita, ut cum Propheta possim dicere: Veni in altitudinem maris & tempestas demersit me; laboravi clamans, rauca factæ sunt fauces meæ. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Sed quia in lecto jacens valde fatigatus, scis dictare nequeo, angustias meas enarrare supersedeo. Te itaque per Omnipotentem DEUM rogo, ut suffraganeos fratres & filios, quos in CHRISTO nutris, ad exorandum DEUM pro me provoces, &

ex

ex v
qua
ricu
Tu a
præt
sia te
habe
Impe
Cuma
& qu
nunc
secre
tion
H
muk
duct
ctus,
rista
re c
dule
catu
brat.
scilic
abom
favo
de sec
sis q
(1) Qu

ex vera charitate invites, quatenus Oratio,
 quæ me liberare debuit, ne incurrerem pe-
 riculum, saltem tueatur in periculo positum.
 Tu autem ipse quantocyus ad nos venire non
 prætermittas, qui quantum Romana Eccle-
 sia te indigeat, & in prudentia tua fidem
 habeat, non ignoras. Dominam Agnetem
 Imperatricem & Reinoldum, venerabilem
 Cumanum Episcopum & nostra parte saluta,
 & quantum erga nos dilectionis habuerint,
 nunc ut ostendant, nostra voce fideliter ob-
 secrea. Data Romæ XI. Kalend. May indi-
 cione undecima.

Henricus vero Imperator, licet si-
 mulata Hildebrandi deprecatione in-
 ductus, temporumque calamitate coa-
 ctus, Pontificem eum agnoverit, lite-
 ristamen, (1) postquam omnia turba-
 re cœpisset, ad eundem scriptis, frau-
 dulentum inter alia, quo ad Pontifi-
 catum pervenerat, ei modum expo-
 brat, Tu, inquiens, his gradibus ascendisti,
 scilicet astutia, (quod monastica professio
 abominatur) pecuniam, pecunia favorem,
 favore ferrum, ferro sedem pacis adiisti, &
 de sede pacis pacem turbasti. Brixinen-
 sis quoque Synodi Patres Hildebran-
 dum,

E

(1) Quæ exhibentur à Magdeb. Cent. XI. c. v. p. 423.

dum, quod Pontificatum contra Majorum morem, invito omnibus, bonis emerit, (1) palam arguerunt. Imo Desiderius Abbas Montis Cassini, Gregorio, cur nimium tardasset, quarenti, at Tu nimium festinasti, qui, nondum sepulto Domino tuo Papa, sedem Apostolicam contra omnes Canones usurpasti. (2) respondens, illegitimam ei rationem, qua Pontifex erat factus, obiiicere non veritus est. Pontifex factus, nomen Gregorii in Gregorii VI., olim Magistri sui, memoriam assumsit, non vano omine, se, quæ Præceptor suus jam muffitaverat, perfecturum atque strenue exsecuturum. Antequam vero res ejus exponere pergamus, tum quibus ipsemet instructus dotibus, tum quorum adjutus ope, tanti momenti res moliri suceperit, prius commemoremus, consultum erit.

§. 2.

Præ ceteris hic Gregorius ad illud, quod suscepit, negotiū aptus fuit atque idoneus. *Erat enim, inquit Maimburgius*

(1) Annal. Bajor. Lib. 5. p. 333.

(2) Benno Lib. 2. & Dupin. Biblioth. Eccles. tom. v. c. 5.

gius, (1) parva statura, ast magni animi
 atque ingenii perspicacis homo; corde plane
 intrepido, quicquid etiam moliminibus suis
 obriceretur difficultatis; indole præterea ve-
 hementi, audaci atque ad imperandum pronæ.
 Res novas non solum facile moliebatur, sed
 & citius, quam par erat exsequebatur, pa-
 rum sollicitus felicem an sinistram habituræ
 essent eventum. Excellens illud, quo gau-
 debat, ingenium, literarum studiis lon-
 ge supra sæculi sui morem excoluerat,
 rerumq; in Ecclesia præsertim gesta-
 rum, ut ex disceptatione ejus cum
 Hannone, quam supra memoravimus,
 apparet, valde erat peritus, neque a-
 liarum literarum ac disciplinarum ex-
 pers. Etenim Poëtarum ac Philoso-
 phorum lectioni eum dedisse operam.
 Petrus Damiani in Epistola (2) ad eum,
 tum Cardinalem, scripta testatur.
 Postquam enim de itineris Israëlita-
 rum per desertum, ac templi Hiero-
 solymitani ratione prolixè disseruis-
 set, altiorem tandem ejus rei indagi-
 nem Hildebrando relinquit, quod uti-
 que templum (spirituale intelligit) Tu, in-
 quiens,

E 2

(1) La Decadence de l' Empire Lib. 2. p. 230.

(2) Lib. 2. Epist. 7.

quiens, *Venerabilis Frater*, optime potes, DEO manum præbente exstruere, qui mutatus es ab *Aegyptiis* aurea vasa & argentea cum vestibus pretiosis. *Theaurum* quippe tollit *Aegyptiis*, unde DEO tabernaculum construat, qui *PO* Etas ac *PHILOSOPHOS* legit, quibus ad penetranda mysteria *Cælestis* eloquii subtilius convalescat. Quin eruditioni *Hildebrandi* occasionem debent, quæ *Benno* aliique de magia ejus referunt. Magi enim tunc habebantur, qui præter istius seculi morem literas excoluerant, & philosophicis studiis, præsertim *Mathematica* scientia, cujus ope ignem evomere, è manicis eiicere, aliaque imperitis mira facere noverant, erant imbuti. De *Benedicto IX.* à quo *Hildebrandum* magiam didicisse *Benno* memorat, idem Scriptor simul narrat, quod cum *Laurentio*, *Malefitano* *Archi-Episcopo*, de *Mathesi* publice quandoque disputaverit, ita ut vulgus avidum novarum rerum, novis divinationibus in sui admirationem excitaverit (1). *Fabulæ* quoque de magia *Sylvestri II.* qui artes

(1) Lib. 2.

artes
spali
Princ
celle
mam
spani
tum
ex in
fastig
dedis
helmo
cum
cum
(1) F
popul
illum
vidit
Lib.
propte
tatum
polluis
venie
præsta
tiam
cias.
ficio,

(1) Lib.

artes magicas & necromantiam Hispani in Hispania didicisse fertur, ac Princeps habetur magorum, tum excellens ejus ingenium, atque summam in Mechanica arte, quam in Hispaniam misus excoluit, peritiam, tum insolitam ejus felicitatem, qua ex infima plebe ad summum honoris fastigium erat evehctus, occasionem dedisse, dubitari non potest. Id *Wilhelmo Malmesburiensi* jam suboluit, qui, cum fabulosa, quæ de Sylvestro circumferuntur, recensuisset, subjicit: (1) *Hæc vulgariter ficta, eo quod soleat populus literatorum famam lædere, dicens, illum loqui cum Dæmone, quem in aliquo vidit excellentem opere. Unde Bœtius in Lib. de Consolatione Philosophiæ queritur, propter studium sapientiæ se de talibus notatum, quasi conscientiam suam sacrilegio polluisset ob ambitum dignitatis. Non conveniebat, inquit, vilissimorum me spirituum præsidia captare, quem tu in hanc excellentiam componebas, ut consimilem DEO facias. Atqui hoc ipso videmur affines maleficio, quod tuis imbuti disciplinis, tuis in-*

E 3

stitu-

(1) Lib. 2. de Gestis Reg. Angl. c. 10.

stituti moribus sumus. Quanto vero magis Hildebrandus doctrina excelluit, tanto sui temporis homines erant rudiores, quib9 propterea monstrosis suis dogmatib9 eum callide imposuisse, mirum non est. *Literarum*, de ignorantia istius seculi *Wilhelmus Malmesburiensis* scribit (1), & *Religionis studia obsoleverant. Clerici literatura tumultuaria contenti, vix Sacramentorum verba balbutiebant. Stupori & miraculo erant ceteris, qui Grammaticam noscent. Monachi regulam ludificabant.* Petrus quoque Damiani in Epistola (2) ad quendam Episcopum de Sacerdotum inscitia valde conqueritur, atque inter alia *per Episcopalis*, inquit, *torporis ignaviam ita nunc Presbyteri literarum reperiuntur expertes, ut non modo eorum, quæ legerint intelligentiam non attingant, sed syllabatim quoque vix ipsa decurrentis articuli Elementa balbutiant.* Ob Prudentia Gregorius destitutus erat, quare eum pariter ac Humbertum idem Auctor acutissimos ac perspicaces *Nicolai II. oculos* appel-

(1) Lib. 3. de Gestis Reg. Angl.

(2) Lib. 4. Epist. 14.

appe
ut c
comm
spec
os c
Frisi
mum
mum
Etisfi
appe
nes,
Alex
us pi
Sed
RAN
per I
zand
ita lo
erum
& sub
quær
bedie
hic s
Sed h

(1) Lib

(2) Lib

(3) Lib

appellat (1), monetque Pontificem, ut cum illis præcipue sui consilii mysteria communicet. Eximiæ insuper pietatis specie, quam præ se tulit, pessimos suos conatus occultare noverat. Otto Frisingensis, Virum sacris literis eruditissimum & omnium virtutum genere celeberrimum, Petrus item Damiani, (2) sanctissimi ac purissimi consilii Virum, eum appellat. Alibi autem (3) ubi rationes, cur Episcopatu sese abdicaverit, Alexandro Pontifici reddit, larva istius pietatis detracta, ita de eo scribit: Sed hic forte **BLANDUS ILLE TYRANNUS**, qui mihi **NERONIANA** semper **PIETATE** condoluit, qui me colaphizando demulsit, qui me certe aquilino, ut ita loquar, ungue palpavit, hanc querulus erumpet in vocem; ecce latibulum petit, & sub colore penitentiae Romæ subterfugere querit accessum, luerari machinatur de inobedientia otium & ceteris in bella ruentibus, hic sibi degeneris umbræ querit opacum. Sed hoc Ego **SANCTO SATANÆ** meo re-

E4

spon.

(1) Lib. 1. Epist. 7. ad Nicol. II.

(2) Lib. 1. Epist. cit.

(3) Lib. 1. Epist. 10. ad Alexandrum II.

Spondeo &c. Hæc vero de Hildebrando intelligenda esse, *Cajetanus* ad illum locum monet.

§. 3.

Quorum vero ope, quave opportunitate fuerit usus *Gregorius*, *Aventinus* indicat (1). *Gregorius VII.* qui & *Hildebrandus*, fretus armis *Nortmannorum*, qui tum *Apuliam*, *Calabriam*, *Campaniam*, quas occupaverant, debachabantur, confisus etiam opibus *Mathildæ* mulieris potentis, & discordia *Germanorum*, primus contra morem *Majorum* contemta *Imperatoris* auctoritate *Pontificatum Maximum* occupavit. *Nortmannis*, qui, ut idem *Scriptor* memorat (2) multitudinis domi prægnantis causa, *Roberto* & *Richardo Ducibus*, ex *Gallia* migrarant, *Henricus II.* *Calabriam* & *Apuliam* *Feudi Jure* concesserat. Unde *Henricus III.* rebus *Romæ* compositis per *Campaniam*, *Calabriam*, *Apuliam* *Castella* male obsequium præstantia expugnasse, ad deditiorem coëgisse, jus dixisse, ac responsa dedisse, *Duces quoque Nortmannis* dedisse, apud eun-

(1) *Annal. Bojor. Lib. 5. p. 345.*

(2) *Lib. Cit. p. 313.*

eundem auctorem legitur (1). Stephanus vero IX. vicinos hos populos expellendi, ipsorumque terras fratri suo Gothefrido una cum titulo Imperatoris tradendi consiliū ceperat (2); quod *secundum hominem eum cogitasse, non autem secundum divinum consilium, quia DEUS (ut exitus declaravit) Normannos illuc voluit sedes figere pro Ecclesiæ Romanæ subsidio adversus Schismaticos Principes, BARONIUS* notat (3). Nicolaus nempe II. instigante, qui absque armis voti sui non compotem se fore animadvertibat, Hildebrando, Normannos, Imperatori primum perjuros reddidit, commovitque, ut terras suas Feudum Pontificum Romanorum agnoverint, fide insuper exacta, se Ecclesiæ Romanæ defendendæ præsto futuros (4). Equidē Gregorius VII. quod, neglecto fœdere, Ecclesiæ R. fines postea incurrerint, metu atque Anathematis fulmine ad obsequium eos revocare tentavit; verum, cum ista ratione non terrerentur,

E 5 tur,

(1) Lib. cit. p. 352.

(2) Chron. Casin. Lib. 2. c. 100. & 107.

(3) Annal. Eccles. ad annum 1058.

(4) Chron. Casin. Lib. 3. c. 15.

tur, amicitiam cum iis redintegavit (1), armisque ipsorum contra Henricum IV. non parum fuit adjutus.

§. 4.

Mathildis, quæ Gregorio non solum, sed & ejus Succesoribus insignem præstitit operam, filia erat Bonifacii, qui Sigonio teste (2) *tantas in Italia opes habuit, ut omnium Principum Italicorum fuerit longe illa tempestate clarissimus. Fuit Canusii Comes, Parmæ, Mantuæ & Ferrariæ Marchio ac Dux Tusciæ, perinde ac Pater ejus Tedaldus, siquidem & is Ducis titulum gessit. Pater fuit Mathildis, quæ hereditatem omnem ejus adivit.* Bonifacio per insidias ad Spinetam interfecto, Beatrix ejus uxor Gozeloni, Lotharingiæ Ducis, nupserat, filiamq; Mathildem Gothofrido, Gozelonis filio, in matrimonium dederat, quæ conjugia Henrico III. ut idem auctor memorat (3) non levem suspicionem jam attulerunt. Erat enim Gozelo iste Henrici III. inimicus, atque suspectus, quod ad Imperium

(1) Lib. 2. Epist. 12. & Lib. 3. Epist. II. Chron. Casin. Lib. 3. c. 52.

(2) de Regno Ital. Lib. 8. ad annum 1007.

(3) Sigonius Lib. cit. ad annum 1054.

riun
jus
ipfa
sci p
set (
Azo
mat
guir
dibi
rico
gori
dem
Lun
Duc
foec
ta a
Gre
tas,
dide
cum
um
gato
mor
jurm
cum

(1) Sig

(2) Vi

rium adspiraret, unde, cum Beatrice-
 jus uxor maritum vellet excusare,
 ipsa ab Henrico fuit retenta, quod *bo-*
sti publico Italiam per conjugium prodidis-
set (1). Mortuo Gothefrido, Mathildis
 Azoni Marchioni Atestino nupsit, quod
 matrimonium propter detectam fan-
 guinis conjunctionem, vel, quod cre-
 dibilius est, quia Azo Mathildem Hen-
 rico IV. reconciliare studuit, (2) Gre-
 gorius rursus dissolvit. Ultimo tan-
 dem Welfoni, Welfonis illius, unde
 Luneburgensium ac Brunsvicensium
 Ducum genus deducitur, filio sed in-
 fœcundo matrimonio juncta fuit. Tan-
 ta autem inter hanc Mathildem &
 Gregorium VII. intercescit familiari-
 tas, ut de amoribus furtivis sese red-
 diderint suspectos; quare Henricus IV.
 cum ad Gregorium, quod vitiis nimi-
 um indulgeret esset delatus, per Le-
 gatos ei nunciari jubet, si publico ru-
 mori fidem habere velit, nec se ab e-
 jusmodi accusatione immunem fore,
cum & ipse male vulgo audiat, atque casti-
getur.

(1) Sigon. ad annum 1055.

(2) Vid. Tab. Genealog. Imhoffii parte 2. Tab. 43.

getur, quod familiarius frequentiusque secreto atque in occulto, quam tantum Pontificem deceat, cum Mathilde colloquatur (1). Neque pietas Gregorii, quam Lambertus Schaffnab. (2) huic famæ opponit, suspicionem illam tollit. Quam enim simulata ea fuerit, paulo ante intelleximus. Splendidam autem donationem, quam Baronius, Sigonius, Onuphrius, aliique adulatores Gregorio à Mathilde factam dicunt, omnino confectam esse, eruditi jam dudum docuerunt.

§. 5.

Discordiarum denique atque dissidiis, quibus Germania illo tempore fuit distracta, infantilis Henrici IV. ætas dedit occasionem. Nondum enim is, cum Patri in Imperio succederet, sextum impleverat annum, atque Agnetis matris suæ tutelæ erat relictus, quam prudentissima hæc Matrona ea ratione gessit, ut nihil fuerit, quo viri prudentia desideraretur, omniaque ubique pacata, nihil perturbationis esset (3). Verum Episcopi, qua turgebant ambitione imperan-

(1) Avent. Annal. Bojor. Lib. 5. p. 334.

(2) ad annum 1077.

[3] Crotzcius in Saxonia sua Lib. 5. c. 1.

randiq; libidine, moleste ferebant, Imperii gubernacula sibi non esse commissa; Idque Hanno inprimis Colonienſis & Albertus Bremeniſis ſimul & Hamburgeniſis Archi-Epiſcopi agebant, ut Henricus matris ſuæ curæ ſubtraheretur, *muliebre*, prætexentes, *Imperium non ſatis ex dignitate eſſe Romanæ Reipublicæ* (1). Cæſare itaque non abſque ſummo ejus discrimine matri ſuæ erepto, atque Agrippinam abducto, cura ejus ceteraque Imperii negotia, Hannonis conſilio, *ſex curiis* (2) *pro numero Archi-myſtarum* (Archi-Epiſcoporum) *Germaniæ, per vices adminiſtranda relicta* fuere. Sed *hæc uno menſe*, ut idem (3) Scriptor refert, *popularia atq; præclara viſa*; non tamē, ea concordia manſit, magis potius ſub hujusmodi tutela avaritia, ambitio invaluit, magis leges ſpretæ, jura contemta. Accidit quoque, ut Albertus Archi-Epiſcopus Bremeniſis rebus ſolus præeſſe vellet, atque diutius quam decretum erat, Cæſarem apud ſe retineret, unde

cete-

(1) idem Script. 1. c.

(2) Aventin, Annal. Bojor. lib. 5.

(3) Lib. 5, p. 334.

ceteri fremere, tributa, vectigalia, census, præter ea quæ Monachorum patres inviti tribuebant, pernegare, suntusque deficere cæperunt, penusque in diem cœmebatur. Aulici prædas agere, pecora abigere, vinum, pabulum incolis vi auferre incipiunt. Hæc de industria, odio Bremensis Archi-Episcopi fiebant (1). Interea dum Imperii Administratores inter sese ita dissident Saxones, gens spoliis vicinorum affueta, sed ab Henrico III. hæctenus coercita, posteaquam, (verba sunt ejusdem Autoris) Casarem impuberem, ætatem obnoxiam injuriæ, rebus impositum vident, rati, eundem ubi adolevit, haud dubie Avi Parentisve vestigia consecuturum, res novas in tempore moliri statuunt, atavos æmulari, imperata detrectare, nemini omnium parere, omne Jus in viribus ponere, viduas, pupillos deglubere, laniare, inopes opprimere, in servitutem redigere, civibus invidere, horum opibus insidiari, oppida diripere, mercatores & alios quosdam ultracitro commeantes, ubi modo spes lucri sit, deprædari, spoliare, latrocinia passim, ut hæc sub Rege puero quasi usucaperent, tandem

(1) apud eundem p. 339.

dem quasi iusta usucapione atque consuetudine defenderent, agitare ceperunt. Dum vero rebellibus his compescendis, ceterisque Germaniæ rebus in ordinem redigendis postea studeret Imperator, multorum Episcoporum adversus se odium excitavit, qui Saxonibus juncti, non exiguum ei negotium dederunt, inprimis, ex quo Otto Dux Bavarix, Bertholdus Carinthiæ, alique Principes vel odio erga Imperatorem, vel propria, ut infra dicemus, utilitate ducti, ad eorum partes quoque transferunt. Hæc dissidia Gregorius VII. ut molimina sua tanto facilius posset exsequi, aluit, fovit, & magis magisque accendit, quod ex rebus ejus contra Henricum gestis apparebit, quibus vero, ne series earum interrumpatur, præcipua, quæ alibi molitus fuit, præmittemus.

S. 6.

In univèrsam nempe orbem sibi hic Pontifex Dominium atque Imperium arrogabat, Regibusque Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Daniæ, Poloniæ aliisque leges dabat, excommunicationis,

tionis, nisi obtemperarent, fulmen iis
 comminatus; eosdemq; nō corripiebat
 solum, sed & Regnis pro lubitu abdi-
 cabat. Imo Africæ, Asiæque rebus
 se immiscens, eas non minus ac cete-
 ras ad suam voluntatem administra-
 ri componiq; cupiebat, horumq; fere
 omnium fides, non aliorum demum
 testimoniis nititur, sed ex propriis e-
 jus Epistolis constat, atque perspecta
 est. Quod enim ad *HISPANIAM* at-
 tinet, primo statim Pontificatus sui
 anno partes, quas Saraceni tum adhuc
 in ea tenebant, ut quæ jam olim Ro-
 manis subiectæ fuissent, sibi vindica-
 bat, facta Comiti Rocejo, ut eas occu-
 paret, Feudique jure possideret, pote-
 state, misso insuper Hugone Car-
 dinale, qui Principes, ut Rocejo o-
 pem ferrent, adhortaretur (1). Neque
 Ecclesiastica, quam in Arragoniæ at-
 que Castiliæ Regnis sibi asserebat (2),
 jurisdictione contentus, totam deni-
 que Hispaniam Pontificibus Romanis
 addicere (3) non erubuit, atque ad
 Alphon-

(1) Vid. lib. 1. Epist. 6. & 7.

(2) Vid. lib. 1. Epist. 63. & 64.

[3] Vid. lib. 4. Epist. 28. cujus initium ita sese ha-

Alphonsum Castiliæ Regem non aliter ac ad sibi subditū scribere ausus fuit (1). Pari ratione *Philippum I. GALLIÆ* Regem non Ecclesiasticis solum juribus privare studuit, sed & subjeetorum suorum loco plane habuit. Cum enim tum propter ejus ætatem juvenilem tum liberiolem, quam ducebat, vitam, multa vitia in ejus Regno invaluisse, atque in ipsam Ecclesiam irrepsissent, Gregorius iis occurrendi prætextu *In-vestitura Episcoporum* penitus ei interdixit, anathematis, nisi Ecclesiasticis negotiis abstineret, fulmen in eum vibraturus (2); quibus minis, uterant tempora superstitiosa, Philippus commotus, missis legatis obsequium Pontifici spondet, cujus propterea laudes censoriis tamen admonitionibus conjunctas meruit. Expositis enim in Epistola (3)

F ad

bet: *Gregorius Episcopus, servus servorum DEI, Regibus, Comitibus, ceterisque Hispania Principibus salutem. Notum vobis fieri volumus, Regnum HISPANIÆ ex antiquis constitutionibus D. Petro & Romanæ Ecclesiæ in JUS & PROPRIETATEM traditum esse.*

(1) Vid. lib. 9. Epist. 2.

(2) Lib. 1. Epist. 35. & 36.

(3) Lib. 1. Epist. 15.

ad illum Regem beneficiis, quibus à Majoribus ejus Ecclesia R. fuerit affecta, hæc quidem, addit Pontifex, & alia talia frequenter, & si oportet, ASPERO sermone Tibi inculcare suscepti nos officii cura compellit. Verum quia Mezeræo in vita Philippi illius animadvertente (1), id præcipue sibi proposuerat Pontifex, ut ipsorum quoque Principum se constitueret judicem atque Censorem, non contentus arrogata sibi in Ecclesiasticas res potestate, Regis ipsius non solum mores redarguere, sed & Regni administrationi se immiscere mox cœpit. Arrepta enim occasione, quod mercatores Itali ad nundinas in Galliam profecti magna pecuniæ summa à Philippo mulctatos se conquerebantur, Galliæ Episcopos Papa admonuit, operam darent, ut pecunia mercatoribus restitueretur, censuram iis Ecclesiasticam minatus, nisi iusta sua exequerentur. Regi vero suo nomine nunciari jubet, subjectos ejus obsequii vinculo soluturum Regnumque ei se ademturum, nisi ad frugem rediret
at-

(1) T. 2. Hist. Franc. p. 151.

atque mercatoribus pecuniam redderet. Recte vero ad hæc *NATALIS ALEXANDER* (1) etfi non absque censura Aulæ Romanæ, *quascunque*, notat, *in Philippum I. invehendi causas habuerit Gregorius VII, novum, inauditum ipsoque jure nullum fuit, quod eripiendum ipsi quomodocunque affecto Regnum, & sequestrandos quicumque ipsi Regalem honorem vel obedientium exhiberent, scripserit.*

§. 8.

Pari arrogancia erga *GUILIELMUM Conquestorem*, Regem *ANGLIÆ* se gesfit, cujus humanitate, qua Pontificatum ipsi gratulatus fuerat, abusus, ad eum pariter ac uxorem ejus *Machtildem* scriptis superbis literis (2) summum non solum negotiorum Ecclesiasticorum in Anglia arbitrium, sed & modum legesque, quibus Regnum administrare debeat, Regi præscribendi potestatem sibi sumsit. Mature tamen *Guilielmus* conatibus *Gregorii* resistendum ratus, *Episcopis Angliæ*, qui ad causam dicendam *Romam* vocati erant,

F 2

rant,

(1) Hist. Eccles. T. 6. p. 421.

(2) Vid. lib. 1. Epist. 70, 71, lib. 2. Epist. 1. lib. 7. Ep. 23. v. 25.

rant, ne comparerent, mandavit, ef-
fecitque ea re, ut Gregorius indigna-
bundus legatum suum Hubertum ex
Anglia revocaverit (1). Superstitio-
sior fuit Rex DANIÆ Canutus IV,
qui liberam Gregorii de Regni sui ad-
ministracione censuram passus, ut in
numerum Sanctorum eapropter relatus
fuerit, meruit (2). Quodsi vero Prin-
cipum vitia Ecclesiæ eos communione
privandi, Regnisque insuper spoliandi
idoneam Pontificibus causam præbe-
rent, nunquam majori justæ specie,
quam in Boleslaum II. Regem POLO-
NIÆ anathemate atque Regni priva-
tione animadvertendo, usus fuisset
Gregorius. Quam enim is initio lau-
dabilem duxerat vitam, tam idem Vi-
ctoriis à Russis, Bohemis & Hungaris
reportatis elatus, vitiis sese dedit, at-
que Stanislai Episcopi Cracoviensis,
à quo se admoneri ægre tulit, cæde,
occasionem Pontifici arrogatam sibi in
Reges potestatem exercendi suppedit-
avit (3). BOHEMIÆ quoque Ducem
Vra-

(1) Lib. 7. Ep. cit.

(2) Lib. 2. ep. 51.

(3) Craut. Vandal. lib. 3. c. 13, 14. Crom. de Reb. Polon. l. 49

Vra-
votu
min
tior
sum
ravi
num
tent
hoc
tæ p
vero
sibi p
Episc
eam
tildi
(2).
Regi
his e
riæ li
Servo
Salut
teræ
cii tu
nign
cassa

(1) Lib

(2) Lib

Vratislaum I. adeo hic Papa sibi devotum reddiderat, ut politicorum non minus, quam Ecclesiasticorum negotiorum in ejus Ducatu arbitrium sibi sumserit; in causa Pragensis atque Moraviensis Episcoporum, de finibus ditiorum suarum controvertentium sententia pronunciata, nullisque Duci in hoc negotio nisi executionis demandatæ partibus relictis (1). *Investituram* vero *Episcoporum* in illo Ducatu adeo sibi propriam voluit, ut cum Gobeardo Episcopo Pragensi, quod ab Imperatore eam accepisset, sanguine licet Machtildi juncto ægre in gratiam redierit (2). Quæ ratione *HUNGARIÆ* quoque Regnum Sedi Romanæ adscripserit, ex his ejus ad Salomonem Regem Hungariæ literis cognoscatur: *Gregorius, servus Servorum Dei, Salomoni, Regi Ungarorum Salutem & Apostolicam benedictionem. Literæ tuæ ad nos tarde propter moram nuntii tui allatæ sunt. Quas quidem multo benignius manus nostra suscepisset, si tua in cassa conditio non adeo B. Petrum offendisset.*

F 3

Nam

(1) Lib. I. Ep. 17, 45, 66, 61.

(2) Lib. 2. Epist. 63, & 70.

Nam sicut à Majoribus patriæ tuæ cognoscere potes, Regnum Hungariæ. SS. Ecclesiæ R. **PROPRIMUM** à Rege Stephano olim B. Petro cum omni jure & potestate sua oblatum & devote traditum. Propterea Henricus piæ memoriæ imperator ad honorem S. Petri Regnum istud expugnans victo Rege, & facta victoria ad corpus B. Petri lanceam, coronamq; transmisit, & pro gloria triumphi sui illuc Regni direxit insignia, quo principatum dignitatis ejus attinere cognovit. Quæ cum ita sint, Tu tamen in ceteris quoque à Regia virtute & moribus longe discedens jus & honorem S. Petri (quantum ad Te) imminuisti & alienasti, dum ejus Regnum à Rege Teutonicorum in beneficium, sicut audivimus suscepisti. Quod si verum est, qualiter gratiam B. Petri aut nostram benevolentiam sperare debeas, tu ipse si justitiam vis attendere, non ignoras. Videlicet, Te non aliter eum habiturum, nec sine Apostolica animadversione diuregnaturum nisi sceptrum regni, quod tenes, correcto errore tuo **APOSTOLICÆ** non Regiæ **MAJESTATIS** beneficium recognoscas. Quibus vero literis cum Salomo parum moveretur, Papa injustis Geysæ, Regnum Salomoni eripe-

per
cive
prat
suis
crea
ranc
verer
comp
vatu
Qu
in c
rit,
CÆ
cini
ris
fica
subj
eum
dim
eam
fuc
etia
cinc
ter
BA
ota
(1) L
(2) P
(3) I
(4)

pere volenti, partibus accessit, atque cives rebelles fovit (1). *DALMATIÆ* præterea Ducem Demetrium artibus suis induxit, ut non Regem solum a se creari, sed & Beneficiarii instar jurejurando *incommutabiliter omnia se, quæ Reverenda Pontificis Sanctitas sibi injungeret, completurum fidemque Apostolicæ sedi observaturum se* adstringi passus fuit (2). Quum ergo terras tam longe disitas in censum suum referre non dubitaverit, minus mirum est, quod *CORSICÆ, SICILIÆQUE*, infulis Italiæ vicinis, inhiaverit. *Illam* antiquitus juris S. Petri fuisse Episcopis ejus significat mandatq; ut Sedi Romanæ rursus subjiciatur, præter copias, quas in eum finem paratas se habere scribit, dimidia redituū ejus Insulæ, qui primo eam vindicaslet, quarta vero parte successoribus ejus promissa (3). Quæ etiam jura Aula Romana in *Siciliam* vicinasque *APULIÆ & CALABRIÆ* terras sibi hodiernum attribuit, ea *BARONIUS* (4) inde usque ab hoc

F 4 Gre.

(1) Lib. 2. ep. 65. & 70.

(2) Baronii Ann. T. XI. ad annum 1076.

(3) Lib. 6. ep. 12.

(4) Tom. XI. ad annum 1097.

Gregorio repetit, injusteque Regem Catholicum ea Regna tenere contendit; quæ vero Philippus III. tanquam *falsa, calumniosa, & rebellionibus ciendis nata* publico edicto merito proscripsit.

§. 9.

Verum non in Occidente solum rerum summæ præse hic Papa cupiebat, sed & ORIENTIS præterea AFRICÆQUE se negotiis immiscebat, ut, quæ patet orbis, imperium suum extendere. Cum enim *Michael Ducas* quem Aulici ob ejus ignaviam, ut tanto licentius agere possent, curaverant Imperatorem eligi, Papalem dignitatem Gregorio fuisset gratulatus, hic oblatam illam occasionem Ecclesiam Græcam sub Jugum suum mittendi, quamvis irritò conatu, præterlabi non passus fuit. Quippe literis, quibus *Duca* gratias agit, id præcipue ei commendat, ut *Constantinopolitana* Ecclesia tanquam *Filia Antiqua matri suæ, Romana Ecclesiæ, reconciliaretur*. Dominico insuper, Patriarcha Veneto, qui illud negotium urgeret, simul ad imperatorem misso, sed infelici successu. Cum enim *Duca*

cu-

cuju
gori
roga
Duc
dign
initio
ricu
ti fil
simu
In
cura
am c
ram
hen
(1) i
quod
balsa
deni

(1)
Vinu
polog
rum,
decret
c. 9.

(2)
chiana
in Pf
asfero
nodo.

cujus præcipue opera nitebatur Gregorius, non multo post imperium abrogassent milites, Roberti quidem Ducis Nortmannorū auxilio in pristinā dignitatē eum restituere nō infeliciter initio tētavit, Roberto vero contra Henricum IV. revocato, Baimundus, Roberti filius, res parum prospere gessit, simulque Gregorii spes concidit. In ARMENIORUM Ecclesiam, curæ, quam sibi in universam Ecclesiam competere dicebat, nomine censuram quoque egit, valdeque eos reprehendit, tum, quod vinum aqua dilutum (1) in S. Cœna non adhiberent, tum, quod Sacramentum chrismatis non ex balsamō, sed butyro conficerent, tum denique, quod Dioscori (2) memoriam

F 5 cole.

(1) Quod antiqua Ecclesia facere consueverat, ut Vinum Eucharasticum aqua, iustino Martyre in Apolog. 2. teste, diluerit, id Sec. IX. & seq. Synodorum, inprimis Triburiensis sub Arnulpho habitæ decretis in necessitatem abiit. Vid. *Cent. Magd.* IX. c. 9. XI. c. 6. add. dist. 2. de Consecratione c. 83.

(2) Fuit is Patriarcha Alexandrinus, doctrinæ Eutyri-chianæ, cujus labe Armenii quoque infecti erant, in Pseudo - Ephesina Synodo, *Λησρμινῆ*, acerrimus asertor, sed ideo proscriptus in Chalcedonensi Synodo, atque Romanis Pontificibus inprimis exosus.

colerent, monetque præterea, ut in *Trisagio* verba, (1) *qui es crucifixus pro nobis* omittant. Impense vero simul Armenios laudat, quod Azymo uterentur, rationesque contra Græcos, qui fermentatum adhibebant, illis suppeditat (2). Carthaginiensibus in **AFRICA**, qui dissidebant inter sese, atq; Cyriacum Episcopum suum Saracenis cruciandum tradiderant, pessimum illud facinus exprobrat, pacisque studium commendat (3). Quod optimo consilio, nisi arroganti animo, factum fuisset. Non enim in Ecclesias solum Africanas, sed & ipsos Africæ Reges imperium suum propagare studebat, scriptis ideo ad Saracenorum Regem *Anzir*, qui, nescio, quo impulsu amicitiam Gregorii ambibat captivosque

Christi quod Leonem I. Episcopum R. vicissim excommunicaverit. Vid. *Leonis* ep. 13.

(1) Hæc verba *ὁ σωφραβεὶς δι' ἡμῶν* à Petro Gnaphæo, qui unam Trinitatis personam ipsamque divinitatem Filii, admisso prius errore Eutychetis, passam fuisse asseruit, atque Sectæ Theopaschitarum auctor fuit, in *Τρισάγιον* intrusa & ab Armeniis pariter ac reliquis Monophysitis retenta fuisse.

(2) lib. 8. cap. 1.

(3) lib. 1. ep. 22.

Christianos transmiserat, literis (1), ad
 animum solum istius Regis, veritate
 Christianæ Religionis seposita, demul-
 cendum comparatis, de quibus illustri
 SECKENDORFII (2) iudicium meum
 facio. *Hæc, recensitæ illi epistolæ sub-
 jungit, qui legent, desinent mirari, quod
 Jesuitæ quædam ex historia Christi, Scanda-
 li, ut putant, vitandi causa, & ne aditum sibi
 præcludant, celare barbaros soleant, cum Au-
 torem & magistrum habeant Pontificem, sibi
 & omnibus, qui Romanæ Hierarchiæ fasti-
 gium colunt, & promovent, summe veneran-
 dum, qui, ut Regi Muhammetano non dis-
 pliceret, ne nomen quidem Christi, cuius ta-
 men vicarius esse volebat, memorare consul-
 tum duxit, immo dicto Apostoli Ephes. 2, 14.
 de summo illo beneficio unitæ Veteris & Novi
 Testamenti Ecclesiæ ad fœdisimum Syncre-
 tismum cum execrabili Secta Muslimica im-
 pie abusus est, & homini a Christiana fide a-
 lieno & Regnorum Christianorum, extirpatis
 incolis, sævisimo detentori, receptionem in-
 sinum Abrahæ ominatur. Baronius, qui for-
 tasse rectius dedecus hoc Gregorii sui reticu-
 isset.*

(1) lib. 3. ep. 21.

(2) Comment. de Lutheranismis lib. 3. Sect. 21.
 §. 84. add. 3.

isset, minime illud amolitur, cum scribit: haud dubie rogasse Pontificem pro Rege, ut Christianus & promissionum Abrahamæ capax fieret: id enim non sufficiebat, sed decuisset Pontificem, ut barbaro Viam salutis per Christum quærendæ candidè in epistola hac vel uno verbo ostenderet, quod, tam pulchram occasionem nactus, facere sine periculo potuisset. Fortassis etiam æquivocationis inventum Gregorio tribuendum est, illo certe non indignum, nempe, ut Abrahamum nominans de Christo in pectore cogitaverit. Quis autem Pontificis Theologiam probet, cum scribit, quod unum Deum diverso licet modo cum Rege colat, & confiteatur: Verus enim DEUS est & colitur qui habet Filium Joh. 5, 23. Anti-Christus est, qui negat patrem & filium, id est, qui non agnoscit mysterium hoc revelationis inter Deum patrem & filium ejus JESUM.

§. 10.

Etsi vero ita omne suum studium in eo posuerit Gregorius, ut Papalem potentiam ubique stabiliret, totumque terrarum orbem sibi subjiceret, quia tamen voti se compotem non fore animadvertēbat, si omnibus simul bellum indiceret, id prius omni virium

CON-

cont
varii
clesia
torum
porri
stitur
ferre
Impe
pro il
tur (
impe
ejus i
neret
nis p
in ab
redun
mun
Epist
ring
ge (
nostr
quod
si nos
nostr

(1)

(2)

(3)

contentione, fraudibus, artibusque variis sibi agendum ratus fuit, ut Ecclesias, earumque Episcopos Imperatorum jurisdictioni, quousque se illa porrigebat, subtraheret, jusque *Inuestituræ Episcoporum* in Pontifices R. transferret. Statim ergo ac Henrici IV. Imperatoris consensum, sine quo *nefas pro illa ætate Pontificem constitui arbitrabatur* (1), datis verbis, (monentibus licet imperatorem Episcopis, *ut electionem quæ ejus injussum facta fuerat, irritam fore decerneret; asserentes, quod nisi impetum hominis prævenire maturaret, malum hoc non in alium gravius quam in ipsum Regem redundaturum esset* (2),) impetrasset, animum, quem in Henricum gerebat, in Epistola (3) ad Gothefridum, Lotharingiæ Ducem, mox prodidit: *De Rege (Henrico) vero, scribens, mentem nostram & desiderium plene cognoscere potes; quod, quantum in domino sapimus. . . . Quod si nos audierit, non aliter de ejus, quam nostra salute gaudebimus. Sin vero, quod*
non

(1) Cranzius in Sax. lib. 5, 5.

(2) Lambertus Schaffneb. p. 191. apud Pistorium
Tom. I.

(3) lib. I. ep. 9.

non optamus, nobis odium pro dilectione, omnipotenti autem Deo pro tanto sibi collato (beneficio, quæ vox deest apud Binium) dissimulando justitiam ejus, non ex æquo reddiderit, interminatio, qua dicitur: maledictus homo, qui prohibet gladium suum à Sanguine, super nos Deo providente non veniet. Beatrici quoque, Uxori Gothofredi, legatos se ad Henricum misurum qui ad amorem sanctæ R. & suæ matris Ecclesiæ eum revocarent, & ad condignam formam suscipiendi imperii eum instruerent & expoliant, eodem tempore significavit (1). Ut nempe prætextum contra Henricum haberet, improbam vitam, crimen, cujus in conferendis Ecclesiasticis muneribus reum se fecisset, Simonix, atque anathema tandem, quo propterea ab Alexandro II. percussus esset, aliorumque hominum commercio prohiberetur, ei obiiciebat, animo plane subdolo nec absque maxima in Henricum calumnia atque injuria. Vitia enim quibus Henricus in adolescentia sua deditus fuerat, Episcopis potius, qui

(1) Lib. I. ep. XI.

qui ejus curam gesserant, exprobranda fuissent, quam Regii adolescentis indoli. Ex quo enim illi Henricum adhuc puerum matri subduxerant, ut tanto licentius interim agere possent, à curis Reipublicæ in angulos eum ablegarunt, atque venationi, gaudiis corporis, indulgendum docent, suo more vivere, ea, quæ fert ætas, factitare passim permittunt, quin etiam officia à voluptatibus institunt, ad omnia connivent (1). Posteaquam vero ad maturiorem ætatem pervenerat, in pauperes, monachos, sacerdotes eum munificentissimum fuisse; Constantia in adversis, fide in deditios ac majestate corporis magnorum operum capaci, omnes antecessisse, regioque fastigio dignum fuisse, inimici quoque ejus diffiteri non potuerunt (2). Turpe contra Gregorio fuit, quod culpa se ipsum redarguerit, quippe quem Henrico pervicaciorum extitisse, Paulus Bernrietensis alique partium Pontificis alias studiosi, fateri coacti fuerunt (3). Quam maligno etiam animo ana-

(1) Aventinus Lib. 5. p. 334.

(2) idem p. 345.

(3) idem cit. l.

thema Alexandri II. Henrico objecerit, atque Lucensem Episcopum, Anselmum, ut ab investitura Episcopatus de manu Regis abstineret, donec anathemate illo solutus esset, monuerit (1), Legatosque postea in Germaniam missos ea de causa Henrici colloquium evitare jusserit, inde apparet, quod ipse bruto hoc fulmine non obstante, cum Henrico communicaverat, Pontificemque se ab illo confirmari curaverat. *Simoniam*, cujus Gregorius Henricum arguebat, *Lambertus Sabaffnaburgensis*, coævus atque *Baronio* non minus, quam *Bellarmino* laudatus scriptor, ministris item Henrici *Adelberto* Bremensi Archiepiscopo, *Wernero* Comiti aliisque impudendam testatur, *ab his*, inquiens (2), *quicquid Ecclesiasticarum, quicquid secularium dignitatum est, emebatur.* Henrici vero integritatem exemplum Abbatis Fuldensis, quem increpitis, qui illam Abbatiam vel gratia vel muneribus obtenturos se sperabant incorrupta fide ut idem scriptor testatur, elegit, non parum comprobatur. Mentis certe re-

(1) Lib. 1. ep. 9.

(2) cit. 1.

Et conciliæ indicium fuit responsio,
 quam Henricus Legatis a Proceribus
 Germaniæ, ut Imperatoriam ipsi digni-
 tatem abrogarent, misit dedit. Cum e-
 nim dejectionis suæ culpam quæsis-
 set, atque Simoniæ crimen ei objicere-
 tur, intrepide respondit: *Vestra quidem
 potestas est, tale nobis crimen impingere. Dic
 ergo Tu, Moguntine, dic adjuratus per no-
 men æterni Dei, quid exegimus, aut recepimus
 a Te, quando Te Moguntie præfecimus? Tu
 quoque, Coloniensis, per fidem Te contesta-
 mur quid nobis dedisti pro sede cui nostra mu-
 nificentia præsidet? Illis fatentibus, nihil
 pecuniæ hujus rei gratia aut oblatum, aut
 acceptum, Rex ait: Gloria Deo, quia vel in
 hac parte fideles inventi sumus. Certe di-
 gnitates eæ duæ præstantissimæ sunt & ma-
 gnum quæstum Camera nostræ referre potu-
 issent. Porro Dominus Wormatiensis, qua-
 lis a nobis susceptus, ad quod promotus, si pi-
 etate vel quæstu ergo ipsum usi fuerimus, nec
 vos, nec ipsum latet. Condignam ergo be-
 neficiis nostris rependitis gratiam (1). Me-
 ræ itaque calumniæ ac falsæ crimina-
 tiones sunt, quibus Bruno (2) Baronius*

G Bel-

(1) Helmodus Chron. Sclav. lib. I. c. 32.

(2) Libro ac *Bello Saxonico*, in quo adolescentiam

(1) *Bellarminus* (2) alique *Henricum* petunt, ex nimio in eum odio, immen-
loque contra in *Gregorium* studio pro-
fecta.

§. II.

Præter illos prætextus alia in super
arte, ut juris specie contra Imperato-
rem aliosque Principes agere videre-
tur, usus fuit. Leges scilicet vel sen-
tentias potius, *Dictatus* vocatas pess-
imisque suis consiliis ac stabiliendæ Mo-
narchiæ Papali accommodatas initio Pon-
tificatus sui tulit. Sunt autem illæ nu-
mero XXVII. atque hoc ordine à *Binio*
(3) recensetur:

1. *Quod Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata.*
2. *Quod solus R. Pontifex jure dicatur uni-
versalis.*
3. *Quod ille solus possit deponere Episcopos
vel reconciliare.*

4. *Quod*

Henrici ejusque bella cum *Saxonibus*, itemque Ele-
ctionem *Rudolphi* describit, injurius valde in *Hen-*
ricum. Vid. *Freeh. T. I. p. 99. 153.*

(1) *Tom. XI. ad annum 1099.*

(2) *Lib. 1. de Translatione Imperii c. 2.*

(3) *T. 3. Concil. General. p. 2. lib. 2. epistola-
rum Gregorii, post ep. 55.*

4. Quod legatus ejus omnibus Episcopis presit in Concilio, etiam inferioris gradus & adversus eos sententiam depositionis possit dare.
5. Quod absentes papa possit deponere.
6. Quod cum excommunicatis ab illo inter cetera, nec in eadem domo debemus manere.
7. Quod illi soli licet pro temporis necessitate novas leges concedere, novas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere, & contra divitem Episcopatum dividere, & inopes unire.
8. Quod solus possit uti imperialibus insigniis.
9. Quod solius papæ pedes omnes principes desculentur.
10. Quod illius solius nomen in Ecclesiis resitetur.
11. Quod unicum est nomen in mundo.
12. Quod illi liceat Imperatores deponere.
13. Quod illi liceat de Sede ad sedem necessitate cogente Episcopos transmutare.
14. Quod de omni Ecclesia quocumque voluerit clericum valeat ordinare.
15. Quod ab illo ordinatus alii Ecclesie presesse potest, sed non militare, & quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere.

16. Quod nulla Synodus absque præcepto ejus debet generalis vocari.
17. Quod nullum capitulum, nullusque liber canonicus habeatur absque illius auctoritate.
18. Quod sententia illius à nullo retractari & ipse omnium solus retractare possit.
19. Quod à nemine ipse judicari debeat.
20. Quod nullus audeat condemnare Apostolicam Sedem appellantem.
21. Quod majores causæ cujuscunque Ecclesie ad eum referri debeant.
22. Quod Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum scriptura testante errabit.
23. Quod Romanus Pontifex, si canonicè fuerit ordinatus, meritis B. petri indubitanter efficitur Sanctus, testante Sancto Ennodio Papiensi Episcopo, è multis sanctis patribus faventibus, sicut in decretis beati Symmachi papæ continetur.
24. Quod illius præcepto & licentia subjectis liceat accusare.
25. Quod absque Synodali conventu possit Episcopus deponere, & reconeiliare.
26. Quod Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesie.

27. Quod

27. *Quod à fidelitate iniquorum subjectos potest absolvere.*

Equidem *Natalis Alexander* (1) cum *Launojo* (2) Dictatus hosce pro suppositiis habet; non alia forte de causa, quam ut tanto liberius eos refutaret, Aulæque Romanæ censuram evitaret. Nihil enim in his sententiis habetur, quod vel à Gregorii agendi ratione sit alienum, vel ex propriis ejus epistolis confirmari non possit. Ipse *Baronius* non solum eos genuinos esse agnoscit, sed & tanquam *usu hætenus in Ecclesia Catholica receptos* defendit (3). Gregorium quoque auctorem illorum habent *Onuphrius* (4) *Petrus de Marca* (5) ut *Casaubonum* (6) atque *Conringium* (7) nunc taceam. In eo solum *Onuphrius* & *Petrus de Marca* à *Baronio* dissident, quod ille à nemine prædecessorum Gregorii paria attentata fuisse scribat, iste initio pontificatus sui à Gregorio eas sententias

G 3 la-

- (1) Hist. Eccles. ad sec. XI. disert. 3.
- (2) In epistola ad Ant. Faunum
- (3) Tom. XI. ad annum 1076. n. 31.
- (4) in Vita Gregorii VII.
- (5) de Concord. Sacerd. & Imp. lib. 7. c. 26. §. 4.
- (6) Exerc. Anti-Baron. XV.
- (7) Exerc. Acad. V. §. 20.

latas velit, *hic* vero & usu antea receptas perperam asferat, & referat ad annum 1076. *Petro de Marca* adfipulatur *Binius*, qui propterea eas recenset inter Epistolas *Gregorii* anno 1074 scriptas. Videlicet imitatus fuit *Gregorius Clodium* Tribunum plebis apud Romanos, qui *Ciceronem* propter testimonium contra se redditum, urbe pulsurus, legem prius tulit, ut de iis, qui cives Romanos sine iudicio populi, indictaque causa necassent, *questio haberetur* (1), atque ex ea *Ciceronem* postea acculatum, ac si *Catilinariæ* conjurationis homines in carcere indicta causa contra illam legem singulari iussisset, in exilium ire cœgit.

§. 12.

Nihil itaque non sibi licitum ratus, prima statim Synodo in annum 1074. prima hebdomade *Quadragesimæ*, ut consueverant Pontifices, indicta, duo perniciosa decreta tulit, quorum altero prohibuit, *na clerici uxores ducerent, qui vero haberent, aut, eas, aut Sacerdotium dimitterent, nec quisquam ad Sacerdotium*

(1) *Dio Caspius* lib. 38. *Cic.* l. 3. ad *Atticum*, *Vellejus*, *Paterc.* lib. 2. c. 45.

vocaretur, qui non perpetuum calibatum
 profiteretur; altero vero, non contentus
 abusum investiturarum & Simoniam
 prædecessorum suorum exemplo da-
 mnasse, ipsum jus principibus *Episcopos*
investiendi abstulit, sanxitque, ut, qui
 a laico *Ecclesiæ Investituram* acciperet, &
 qui daret, & qui acciperet anathemate ple-
 deretur. (1). Jacta itaque hoc poste-
 riori decreto erat alea, lisque Impe-
 ratoribus de Investitura *Episcoporum*
 indicta, quam ipse deinceps ejusque
 successores *Urbanus II.* paschalis II. at-
 que *Calixtus II.* strenue urserunt. Ne-
 que priori decreto de cœlibatu Sacer-
 dotum aliud agebat *Gregorius*, quam
 ut ita *Episcopos* à Principibus abstra-
 heret, quibus additiores erant, qui
 uxorem duxerant, atque liberorum
 copia laborabant. Præterquam etiam,
 quod ita cavebatur, ne bona *Ecclesiæ*
 nimium absumerentur, apta erat hæc
 res ad dissidia excitanda, quibus hic
 Papa maximopere delectabatur, ut ipse

G 4

inte-

(1) *Baronius* hoc decretum negat primo Syno-
 do latum fuisse. Affirmant *Sigon.* Ital. antiq. ad an-
 num 1074. *Dupin.* Bibl. Script. Eccles. ad Seq. XI.
 itemque *Natalis Alexander* ad Sec. XI. dissert. 4.

interea imperium suum stabiliret. Quantas enim turbas, cum hæc decreta per Legatos suos in Germania publicasset, excitaverit, *Aventini* verbis (1) exponere præstabit: *Gravissima seditio gregem Christi perculit, nec unquam talis lues populum Christi afflixit. Mystæ adversus pontifices, populus adversus sacerdotes, prophani adversus initiatos sævire, omnia divina humana permiscere cæperunt &c.* Auctæ fuerunt hæ turbæ contentione liteq; orta inter Nuncios Pontificis, & præcipuos Germaniæ Episcopos Bremensem & Moguntinum, quorum cum illi concilium in Germania indicare vellent, *hi* fortiter iis resisterunt, &, ut *rem novam ac à rationibus suis alienam* permittere noluerunt (2). Inter ceteras enim artes atque fraudes, quas Gregorius adhibuit, Legatos in omnes Europæ partes mittebat, sub prætextu quidem, ut Ecclesiæ mores corrigerent, re autem vera, ut populum instruerent de auctoritate Pontificis, quique se ei opposerent, puni-

(1) p. 326.

(2) Lamb. Schaffn, p. 210. apud pistor.

nirent (1). Quod ad Imperatorem attinet, Legatis suis Gregorius in mandatis dederat, ne ad colloquium eum admitterent priusquam anathemate, quo Alexander II. eum devoverat, solutus esset; Matrem quoque ejus, Agnetem, simul cum Legatis suis miserat, ut Henricus illius precibus ad obsequium pontificis flecteretur (2). Tempori Imperator tum cedere, quia gravibus bellis implicatus erat, injuriamque scriptis ad Pontificem submissis valde literis (3) dissimulare coactus fuit. Nondum enim bellum Hungaricum, quod pro Salomone contra Geyfam in Hungaria gerebat, confectum erat, cum Saxones auctore Ottone, qui Bavarix Ducatu privatus ad eos se receperat, denuo rebellarent. Erat nempe hic Otto, quem *Cranzius* (4) ex Henrico Ottonis I. fratre natum existimat, maximæ apud ceteros Germaniæ proceres auctoritatis, meritoque

G 5 Hen-

- (1) Petrus de Marca de concord. Sacerd. & imp. lib. 5. c. 47.
 (2) Marianus Scotus ad annum 1074.
 (3) Inter epist. Gregorii lib. 1. post ep. 29.
 (4) Saxonia lib. 3. c. 3. & 4.

Henrico suspectus, quod imperium affectaret; unde, cum ab Eginone conspirationis secum contra imperatorem factæ accusaretur, nec pro more illius temporis duello purgare se voluerit, tanquam reus ducatu suo fuit eiectus (1), & ad Saxones aufugiens, contra Henricum eos incitavit. Dum itaque Henricus Saxones in ordinem redigere studeret, Gregorius interea in eos, qui decretis suis se opposuerant, acriter inuictus, Liemarum inprimis, Bremensem, nec non Sigfridum Moguntinensem Episcopos acerbis literis, quod Legatos suos, quo minus concilium in Germania habere potuerint, impedivissent, objurgat, atque ab *omni Episcopali officio suspendit*, nisi ad causam proxima Synodo dicendam Romam venissent (2). Neque minus acriter Principes, Rudolphum Sueviæ, atque Bertholdum Carentinum quod eadem decreta, ut iusserat, in ditionibus suis non publicassent, reprehendit (3).

Præ-

(1) Cranzius in Saxon. lib. 5. c. 3. & 4. Avent. lib. 5. p. 341.

(2) Eib. 2. ep. 28, 29.

(3) Lib. 2. ep. 45.

Præterea, quia prævidebat, Henricum bello Saxonico confecto conatibus suis fortiter sese oppositurum, ut novoeum bello implicaret, expeditionem in terram sanctam multis ei commendavit, (1) quam vero artem licet frustra tentaverit, Urbanus tamen II. ea feliciter postea usus fuit.

§. 13.

Neque Synodum in annum 1075. reformandæ Ecclesiæ magis, quam ut suam potius causam ageret, indixerat; quippe in qua Liemarum Bremensen, Guibertum Ravennatensem, Theobaldum Mediolanensem, Hugonem Blancum aliosque Longobardenses inprimis Episcopos, una cum quinque præcipuis imperatoris aulicis excommunicavit (2), eaque ratione ut in ipsum Imperatorem mox inveheretur occasionem nactus fuit. Cum enim imperator aulicorum suorum excommunicatorum consilio indigeret, fierique propterea non posset, quin commercium cum iis haberet, censoriis literis id ei mox expressit.

(1) Lib. 2. ep. 31.

(2) Sigon. lib. 9. ad annum 1075, lib. 2. epist. Greg. 8. & 9.

bravit Gregorius, inuictus simul in eum, quod contra statuta Apostolicae sedis Firmianam & Spoletanam Ecclesiam tradidisset, si tamen, inquiring, ab homine tradi Ecclesia, aut donari potest quibusdam personis nobis etiam ignotis. Decuerat Regiam Dignitatem tuam, cum Te filium Ecclesiae confiteris honorabilius Magistrum Ecclesiae, hoc est, Beatum Petrum Apostolorum principem intueri, cui (si de Dominicis ovis es) Dominica voce & potestate ad pasendum traditus es, dicendo sibi Christo: Petre pasce oves meas &c. (1). Sed majora ausus in imperatorem se plane extulit, ejusque judicem intolerabili factu se constituit. Cum enim Saxones nuper maxima clade essent affecti, neque armis Henrico se pares sentirent, apud Pontificem, dubium an hujus ipsius instinctu, quod crediderim, an sua sponte, eum deferunt, confictorumque criminum accusant, avarae superbeque imperari, arguentes, nullum pauperem, nullum inopem audiri, lasciviam, superbiam, avaritiam pro aequitate, jure & justitia invasisse; praetores, apparitores, scri-

(6) Lib. 3. ep. 10.

scribas, tineas, muresque aulicos trahere, rapere, paucorum potentiam invaluisse, horum arbitrio cuncta agitari, pecuniam vi exigi à fanis quoque tolli &c. (1.) Quibus aliisque falsis horrendisque criminibus expositis Imperium beneficium urbis æternæ esse insuper addunt, hortanturque ac petunt, ut caput orbis terrarum, Pontifex, jure suo det operam, decernatque ex consilii decreto, qui regnet, atque tanto imperio dignus sit. Hæc supra modum Gregorii aures titillasse gratissimaque ei accidisse oportet, quod nihil magis quam commodam ejusmodi occasionem animum suum in Henricum penitus declarandi, optaverit. Non nescius tamen cum strenuo imperatore negotium sibi esse, fœderibus cum Mathilde atque Nortmannis prius sancitis, Henricum dein legatis missis Romæ, ut criminum, quorum à Saxonibus accusatus erat, in proxima Synodo causam diceret, adessee jubet, anathema ei, nisi morem gereret, minatus (2.) Et si vero imperator Go-

sla-

(1) Lib. 5. p. 348.

(2) Lamb. Schaffn. p. 233. apud Pistorium.
Sigon. lib. 9. ad annum 1076.

slariæ, quo post victoriam à Saxonibus reportatam concesserat, tum adhuc commoratus hanc pontificis arrogantiam molestissime tulerit, causamque habuisset gravius in eum animadvertendi, pacis tamen studio, quaque utebatur patientia, legatos primum, ut falsa crimina diluerent, ad pontificem mittendos censuit, quos tantum abest, ut pari, quemadmodum servum illum fervorum decuisset, patientia audiverit, ut potius *indignis modis eos affecerit, incarceraverit, incarceratos nuditate, frigore, fame, siti ac plagis contriverit, demumque ad exemplum per medium civitatis deductos omnibus spectaculum præbere jusserit.* (1.) Imperator ergo cum Pontificem juratum hostem suum nulla ratione placatum, neque immensæ ejus, qua laborabat, imperandi libidini unquam satisfactum iri cerneret, concilium WORMATIAM convocavit, ut, quid agendum esset, communibus Episcoporum suffragiis statueretur. Causa tum ab Hugone Blanco, Cardinali

ex.

(1) Vid. Epistola Henrici, qua causis expositis Episcopos ad concilium WORMATIAM convocavit, apud *Reuberum* p. 195. & *Avent.* p. 349.

* (III.) *

exposita, Gallia atque Germaniæ Episcopi, qui, exceptis Saxonibus, huic concilio intereant omnes, unanimi consensu, Adalberto quoque Wirzburgenfi, & Herimanno Metensi Episcopis rationibus Guilielmi Trajectensis Episcopi tandem commotis, papalem Gregorio Dignitatem publico decreto abrogarunt, cujus summa (1) ex ejus sine hæc est: *Quia ergo & introitus Tuus tantis perjuriis est initiatus, & Ecclesia Dei tam gravi tempestate per abusiouem novitatum tuarum periclitatur, & vitam per conversationem tuam tam multiplici infamia dehonestati, obedientiam, quam Tibi nullam promissimus, posthac nullam servaturos esse, denunciamus. Et quia nemo nostrum, ut tu publice declamas, Tibi hætenus fuit Episcopus, ita Tu quoque nulli nostrum à modo eris Apostolicus.* Lombardiæ quoque Episcopi conventu Ticini habito huic decreto subscripserunt, insuperque jurejurando se obstrinxerunt, nunquam se Pontificem maximum isthoc nomine recepturos (2). Nihil tamen

pon-

(1) Integrum exhibetur ab Goldasto in Constit. imp. T. I. p. 237.

(2) Avent; p. 351.

pontifex hoc decreto, quod à duobus legatis una cum literis (1) Henrici ad Gregorium, lectu dignissimis, Romam deferebatur, territus, sed contra furore quasi correptus, post excommunicatos, qui concilio Wormatiensi & Ticinensi interfuerant, Episcopos, Henricum ipsum non communionē solum Ecclesiæ, sed inaudito hactenus exemplo, imperio ipso privavit, hac adhibita formula (2): *Audi me princeps Apostolorum Petre. Tum mihi beatusque Paulus frater tuus optimi præter ceteros testes esse potestis, me invitum ad Sanctæ Tuæ Ecclesiæ gubernacula esse protractum. Ob eam rem mihi persuadeo, Tibi placere, ut ego populo Christiano Tibi præcipue à Deo commissio præsim, ac summam ligandi atque solvendi in Cælo atque in terra potestatem obtineam, Tibi præcipue à Christo Domino nostro delatam. Hac igitur fiducia nixus pro Ecclesiæ Tuæ honore ex parte omnipotentis Dei, patris & filii & spiritus Sancti, jure auctoritatis tuæ Henrico Regi, Henrici im-*

(1) Quas refert Reuber. p. 196. & Goldastus Constit. imp. p. 241.

(2) Ut refertur ab Sigonio lib. 9. ad ann. 1076. & Binio T. III. Concil. General. parte II.

pera
inau
GN
TE
VIN
obstr
ut r
tuo
go.
& su
Ecc
lebu
con
din
cris
rate
cusa
exc
Car
scri
stat
sum
rem
ut r
ricu
just

peratoris filio qui adversus tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, **TOTO REGNO GERMANIÆ atque ITALIÆ INTERDICO, & OMNES CHRISTIANOS VINCULO SACRAMENTI**, quo se illi obstrinxerunt, exsolvo; & ne quisquam ei, ut regi, obtemperet, veto. Ob eam rem tuo nomine vinculo anathematis ipsum alligo, ut gentes sentiant, quod Tu es Petrus, & super tuam petram Filius Dei edificavit Ecclesiam suam, & portæ inferi non prævalent adversus eam. Refert Benno (1), contra voluntatem & consilium Cardinalium, extra ordinem judicandi sacris canonibus determinatum, imperatorem, in nulla synodo canonicè accusatum, præcipitanter à Gregorio excommunicatum fuisse, nullamque Cardinalium ei excommunicationi subscripsisse. Utut sit, id constat, potestatem illam, quam sibi Gregorius sumsit imperio privandi imperatorem adeo novam omnibus visam fuisse, ut non pauci, qui anathematis in Henricum promulgationi adfuerunt, injustum illud censuerint (2), qui vero

H abe-

(1) In Vita Hildebrandi lib. I.

(2) Sigon. l. c.

aberant partium Pontificiarum studiosi
 hæsitantes ob illud facinus, ejus ra-
 tiones à Gregorio suppeditari sibi pe-
 tierint. Adeo vero absurda sunt, quæ
 ejus rei duabus literis (1) Herimanno
 Episcopo Metensi reddit argumenta,
 ut *Natalis Alexander* (2) ab ignaro scri-
 ba ea Gregorio suggesta fuisse existi-
 met; non alia rursus de causa, quam
 ut tanto liberius ea refutare posset.
 Neque *Otto Frisingensis* par huic Gre-
 gorii arrogantia exemplum se inve-
 nisse fatetur, & obstupescens quasi
*lego, inquit, atque relego Romanorum Re-
 gum & Imperatorum gesta, & nunquam in-
 venio quenquam ante hunc Henricum à Ro-
 mano Pontifice excommunicatum & Regno
 privatum* (3). Ipse quoque *Onuphrius
 Panv.* hoc Gregorii facinus *rem ante ea
 secula inauditam* appellat (4), *fabulas,
 quæ de Arcadio, Anastasio, & Leone Ico-
 nomacho circumferantur, parum moratus.*

Dubito vero an Cl. auctor Historiæ
 ima-

(1) Lib. 4. ep. 2. & Lib. 8. ep. 21. quæ posterior refutata
 est ab *Natal. Alexandro Hist. Eccles.* ad sec. XI.
 dissert. 2.

(2) l. c.

(3) Lib. 6. c. 36.

(4) de *Varia Creat. R. Pontificum.*

Imaginum restitutæ contrarium solide
 satis probatum dederit. Aut enim
 meræ fuerunt minæ quibus *Adrianus II.*
 ejusque prædecesores metum Princi-
 pibus incutere tentarunt, aut Eccle-
 siasticæ tantum censuræ à Gregorii ful-
 mine toto cœlo diversæ. Quod enim
Ambrosius Episcopus Mediolanensis Theo-
 dosium M. ab Ecclesiæ cõmunionem pro-
 pter Thesalonicensium eadem exclu-
 serit, debita fecit modestia, atque ra-
 tione à munere suo non valde aliena.
 Neq; is ut & alii ante Gregorium VII.
 pontifices R. diris Principes devove-
 runt, omnique cum iis commercio ab-
 stineri juserunt; minus imperio eos
 privare, civesque ipsorum obsequii &
 subjectionis vinculo solvere ausi fue-
 runt.

S. 14.

Quicquid autem sit, sive primus
 tantum facinus perpetraverit Grego-
 rius, sive aliorum exempla secutus,
 tantis hoc suo fulmine Germaniam
 turbis implicuit, motibusque concussit,
 quantos post hominum memoriam non
 senserat. In duas enim Germania tum

H 2

fa-

factiones ad mutuam usque perniciem
 exacerbatas scissa fuit atque divulsa,
 plurimis, quorum alii superstitione
 mera, alii ejus quidem prætextu, pro-
 prii autem commodi studio ducebantur,
 Pontifici adhærebant, paucissimis
 imperatori fidem servantibus. Saxones
 enim, qui infensissimi erant imperatori
 novam sibi occasionem contra eum
 denuo insurgendi oblatam esse, gaudebant,
 tantoque magis lætabantur, quod post
 ultimam acceptam cladem durius ab eo
 habitum fuerant. Episcopi Henrico
 indignabantur, quod licentia, qua sub
 ejus pueritia usi fuerant, diutius agere
 ipsis non permetteret, non minus propterea
 ortis his inter Pontificem atque Imperatorem
 dissidiis læti, ut ipsi interea ambitioni
 suæ studerent. Berchtoldus, Zæringensis
 Comes, jam diu ob Sueviæ & Carinthiæ
 Ducatus infenso in Henricum animo fuerat.
 Brevi enim Henricus III. ante obitum
 suum huic Comiti Ducatum Sueviæ
 annulo suo ei tradito dono dederat,
 quem vero Ducatum, cum Rudolphus
 de Rheinfelde favore Augustæ

ita
 told
 rint
 ver
 fo
Cran
tus
lisfer
tum
gita
 lien
 mod
 hoc
 sole
 bat
 Pon
 fatis
 dolo
 ti co
 tus,
 ctus
 pera
 ctat
 Præ
 ctio
 atqu
 (1) L

stæ nihilominus occupasset, ut Berchtoldus placaretur, Henricus IV. Carinthiæ Ducatum ei concesserat, haud vero multo post rursus ademtū, Ludolfo dederat, quo *Berchtoldus iusta*, ut *Crantzius* scribit (1) *indignatione commotus tam in Regem, qui Donatum abstulisset, quam in Ludolfum, quod sibi debitum Ducatum postulasset, occupassetque, cogitavit ultionem.* Hugo Alfatus ære alieno erat obrutus pecuniæque supra modū avidus, cujus corradendæ bellum hoc civile, utpote in quo licentius agi solet quam in externo, aptum credebatur, præcipue cum partes sequeretur Pontificis, qui, modo ambitioni ejus satisfieret, ad omnia connivebat. Rudolphus denique de Rheinfelde recepti concessæ sibi Sueviæ beneficio oblitus, atque affinitatis, qua Henrico junctus erat, jure susque deque habito, imperatoriæ, cujus à Pontifice spes eifecta erat, Dignitati inhiabat. Quod Præterea res Henrici reddebat afflictiores, Gothofredus Dux Lotharingiæ, atque Guilielmus Ultrajectinus Epi-

H 3

sco-

(1) Lib. 5, c. 2. Saxon.

Episcopus, strenui partium imperatoris defensores, hoc tempore vitam cum morte commutaverant. Frigidam itaque per Legatos suos suffundente Pontifice, Germaniæ Proceres Triburiam, ubi Henricum olim Imperatorem elegerant, ut ibidem imperium ei nunc abrogarent conveniunt; quo audito Imperator, ut, quid ageretur, citius cognosceret, consiliaque, si posset, iniqua impediret, Oppenheimium, Triburiæ vicinum oppidum, sese contulit. Legatis vero ultro citroque missis, nudo imperatorio nomine vix re-
 tento, durissimis conditionibus subscribere debuit, quibus Germaniæ Proceres ita fuerunt pacti: *Rem integram se Romani Pontificis cognitioni reservare, aturos se cum eo, ut in purificatione S. Maræ Augustam occurrat, ibique celeberrimo conventu habito Principum totius Regni discussis utrarumque partium allegationibus ipse suo iudicio vel abdicet, vel absolvat accusatum. Quod si ante diem anniversarium excommunicationis sue suo præsertim vitio excommunicatione non absolvatur, absque retractatione in perpetuum, causa ceciderit.*

nec

nec legibus deinceps Regnum repetere possit, quod legibus ultra administrare, annuam passus excommunicationem, non possit. Si oblatam conditionem gratanter amplectetur, & Romano Pontifici per omnia subditum se, dictoque obtemperantem fore polliceatur; hinc se experimentum capturos, omnes, quos ille excommunicarit, ex templo à convictu, contubernioque suo amoveat. Ipse in urbem Spirensis dimisso exercitu secedat, ibique solo Verdunensi Episcopo, paucisque ministris, quos tamen sententia principum ab hac excommunicatione integros incorruptosque probaverit, contentus, privatam interim vitam agat; Ecclesiam non ingrediens, nihil circa publica negotia jure suo disponens, nullam Regii apparatus pompam, nulla regie dignitatis insignia sibi juxta solitum adhibens, usque ad Synodicam causæ suæ examinationem: (1).

§. 15.

Cum itaq; rem omnem Pontificis arbitrio Imperator stare cerneret, ne vel ille tempus traheret, vel ipse, quo minus intra annum anathemate solveretur in mora esset, cum uxore, filio paucisque comitibus tempore hyemali

H 4

Ro-

(1) Baron. ad Annum 1076. §. 27.

Romam contendit. Quicquid etiam Longobardiæ Episcopi, ne rem se indignam faceret, bellumque potius, ad quod auxilium opemque suam offerebant, Pontifici indiceret, rogarent, a consilio tamen, quod ceperat, abstrahi non potuit, pactarum conditionum memor, quibus, nisi intra annum ad finem decurrentem cum Pontifice in gratiam redisset, pro exauctorato se habendum consenserat. Pontifex vero, qui Roma interea versus Augustam in Germania, ut concilium ibi haberet, profectus erat, intellecto Imperatoris adventu, metuens, ne insidiæ sibi struerentur, Canusium, arcem, quæ ad Marchildē pertinebat, munitissimâ se recepit, Henricum ibi præstolaturus. Nemo vero Pontifice latior, cum Henricus se deprecatum ad eum venisse nunciaret, atque tanti Imperatoris submissione elatus, intolerabili fastu eum excepit. Non enim sine difficultate factum, ut quibusdam ex suis comitibus cum Henrico colloqui permiserit, minusque facile, ut in communionem Ecclesiæ eum reciperet, commoveri potuit; quod ju-
di-

dicio
in
Imp
que
Pron
nath
tam
com
mist
bitu
Ger
bit
rabi
indu
Apoj
latio
qui
peru
passi
tis p
inne
am n
post
tyran
rent
Et ta
ne a
sup
(1) L

dicio, in quo ipso tanquam supremus
 in hoc terrarum orbe Iudex causam
 Imperatoris cognosceret, sententiam-
 que pronunciaret, rem agi cupiebat.
 Promittente tandem Henrico, etsi a-
 nathemate esset solutus, nihilominus
 tamen in jus a Pontifice vocatum se
 compariturum, in arcem quidem ad-
 missus fuit, sed inhumana ratione ha-
 bitus. Ipse Gregorius ad rebelles in
 Germania de Henrico *per triduum*, scri-
 bit (1), *deposito omni regio cultu mise-
 rabiliter, utpote discalceatus, & laneis
 indutus persistens, non prius cum multo fletu
 Apostolicæ miserationis auxilium & conso-
 lationem implorare destitit, quam omnes,
 qui ibi aderant, & ad quos rumor ille
 pervenit, ad tantam pietatem & com-
 passionis misericordiam movit, & pro eo mul-
 tis precibus & lachrymis intercedentes, o-
 mnes quidem insolitam nostræ mentis duriti-
 am mirarentur, nonnulli vero in nobis non A-
 postolicæ severitatis gravitatem, sed quasi
 tyrannicæ feritatis crudelitatem esse clama-
 rent. Denique instantia compunctionis ejus,
 & tanta omnium, qui ibi aderant, supplicatio-
 ne devicti, tandem eum relaxato anathema-*

H 5

(1) Lib. 4. ep. 12.

tis vinculo in communionis gratiam & sinum sanctæ matris Ecclesiæ recepimus acceptis ab eo Securitatibus; per quas Securitates durissimas intelligit conditiones, hoc jurejurando (1) quod Henricus præstare debuit, comprehensas.

Ego Henricus Rex de murmuratione & disensione quam nunc habent contra me Archiepiscopi & Episcopi, Duces, Comites, ceterique principes Regni Teutonicarum & alii, qui eos in eadem disensionis causa sequuntur infra terminum, quem Dominus Papa Gregorius constituerit, aut justitiam, secundum judicium ejus aut concordiam secundum consilium ejus faciam, nisi certum impedimentum mihi, vel sibi obstiterit, quo transacto ad peragendum idem paratus ero. Item si idem Dominus Papa Gregorius ultra montes seu ad alias partes terrarum ire voluerit, securus erit ex mei parte, & eorum, quos constringere potero ab omni læsione vitæ, & membrorum ejus, seu captione, tam ipse, quam qui in ejus conductu & comitatu fuerint, seu qui ab illo mittuntur, vel ad eum de quibuscunque terrarum partibus venerint in eundo, & ibi morando seu inde redeundo, neque aliud ali-

(1) Subjicitur illud citatæ Gregorii Epistolæ, atque refertur ab Goldasto constit. imper. p. 240.

aliquod impedimentum habebit ex meo consensu, quod contra honorem suum sit & si quis ei fecerit, cum bona fide secundum posse meum illum adjuvabo. Actum Canusie s. Kal. Febr. indicit. 15. Hoc facto, Gregorius hostiæ dimidiam partem sumsit dira hac imprecatione, *ut, si crimini obnoxius sit, repentina morte eum Deum conficeret.* addita, voluitq; dein, ut Henricus altera dimidia hostiæ parte consumpta, pari execratione innocentiam suam probaret. Is vero Pontificis temeritate attonitus horrendumque illud facinus aversatus, iudicio humano causæ suæ cognitionem commisit (1).

§. 16.

Nihil tamen Imperator hac re profecit, quin statum suum deteriorem potius reddidit. Longobardiæ enim Episcopi, qui partes ejus tenuerant, nunc propter imperatoriam Majestatem violatam contemnere eum, atque deserere cœperunt, filium ejus, etsi adolescentem, Imperatorem se electuros minati. Quicquid etiam Henricus ageret, ut ipsorum animos placaret, nul-

(1) Lamb. Schaff. ad annum 1067. & Sigon. lib. 9.

nulla tamen ratione reconciliari iis
 potuit, quam fide data, injuriam a
 Pontifice acceptam acriter se vindica-
 turum. Haud quoque multo post ap-
 paruit, amicitiam, quam Gregorius
 cum Henrico redintegraverat fuc-
 tam, simulatamque fuisse, siquidem
 Pontificis instinctu factum, ut Germa-
 niæ proceres *Forcheimii* in Franconia
 imperium Henrico abrogarint, Rudol-
 pho Sueviæ Duce ei suffecto. Equi-
 dem Gregorius *sine consilio* suo id fa-
 ctum fuisse, Petro Pauloque testibus
 provocatis, cum denuo eum postea ex-
 communicaret, simulare studuit; idem-
 que licet *Baronius* Pontificum manci-
 pium, orbi persuadere (1) conatus fue-
 rit, a nobis tamen, ut id credamus,
 impetrare non possumus. VENERI-
 CUS enim Vercellensis Episcopus, co-
 ævus scriptor, *dimissum* scribit (2)
Henricum in pace: Qualem scilicet pacem
Judas simulavit, non qualem Christus reli-
quit. Nam imperatoris hostibus interrup-
tionem pacis sollicitantibus Papa respondit:

ne

(1) ad annum 1077. art. 44.

(2) de Unitate Ecclesiæ fol. 10. apud Schardium.

ne solliciti sitis, culpabiliorem eum reddo vobis. SABELLICUS (1) item suo assensu, inquit, Hildebrandus ratum fecit, quod Rudolpho Regium nomen ab Alemannis delatum sit. HELMOLDUS (2) postquam circumspexisset (Gregorius) ait, cui imperatoria dignitas concederetur, Rudolphum hunc tanquam virum circa cultum Sacerdotii & Ecclesiam optime affectum eligi iussit, aurea corona ei transmissa, hac inscriptione.

Petra dedit Romam Petro, Tibi papa coronam.

Quin legatis Gregorii Bernhardo Cardinali Diacono & Bernhardo Abbate Masfilienſi, itemque Christiano Averſanæ poſtea Eccleſiæ Episcopis præſentibus non ſolum, ſed & auctoribus omnia in conventu Forcheimienſi aëta fuiſſe, quæ Goldaſtus (3) ex Bernriedenſi, partium pontificis alias ſtudioſo, refert, comprobant. Quam etiam ob rem Rudolphus clientis inſtar *investitura Episcopali* renunciare, atque in ceteris quoque Pontifici

(1) Ennead. 9. lib. 3.

(2) Lib. 1. c. 28.

(3) Conſtit. Imp. p. 238. add. Bruno Bello Sax.

fici Romano se obtemperaturum promittere debuit, præstato jurejurando, cujus hanc Gregorius formulam ei præscripsit (1)

*Ab hac hora & deinceps fidelis ero per rectam fidem beato petro Apostolo, ejusque vicario, beato Gregorio, qui nunc in carne vivit, & quodcumque ipse mihi præceperit, sub his videlicet verbis, per VERAM OBE-
DIENTIAM fideliter, sicut oportet Christianum, observabo. De ordinatione vero Ecclesiarum & de terris vel censu, quæ Constantinus Imperator vel Carolus Sancto Petro dederunt, & de omnibus Ecclesiis vel prædiis, quæ Apostolica Sedi ab aliquibus Viris vel mulieribus aliquo tempore sunt oblata, vel concessa, & in mea sunt, vel fuerint potestate, ita conveniam cum papa, ut periculum Sacrilegii & perditionem animæ meæ non incurram, & Deo, Sanctoque Petro adjuvante, Christo dignum honorem & utilitatem impendam, & eo die, quando illum primitus videro, fideliter per manus meas MILES Sancti petri & illius efficiar.*

Interea dum hæc in Germania agebantur, Henricus in Longobardia adhuc

(1) Vid. lib. 9. ep. 3. & Goldast. de Replie. pro imp. p. 210.

huc commoratus Gregorium viis omnibus, ne vel Romam reverti vel iter in Germaniam prosequi potuerit, probe custoditis Canulii detinuit. Nuncio vero accepto de Rudolphi electione cum copiis suis, quas in Longobardia conscripserat, in Germaniam movet, atque per circuitum cum Alpium aditus occlusissent hostes, Bavariam intrat, hostibusq; inde profligatis in Sueviæ dein castello Sigmarino Rudolphum obsessum tenuit; Fuga autem hinc elapsum, postquam Sueviæ Alfatixque res composuisset, insecutus primo ad Molrichshemium in Franconia conflictu res non felicissime gessit; neque altero apud Fladenhemium in Saxonia prælio multo prosperiori fortuna usus fuit. Equidem Bruno Henrico victoriam adscribit, culpa rei infeliciter ab Rudolpho gestæ, in Episcopos conjecta, *qui primi ex acie affugerint, aptiores nempe ad psalmos cantandos, quam Legiones armatas disponendas.* Marianus vero Scotus atque Berchtoldus Constantiensis Rudolpho palmam tribuunt. *Cranzius (1) Vulnere & da-*

ma

(1) Lib. 5. c. 7. Sax.

mna partium æquata fuisse scribit. Certe æquo Marte discesum fuisse, credibilibus est, quippe cum Henricus post illam pugnam legatis Romam misis de Rudolpho conqueri, obsequiumque erga Pontificem adhuc simulare necesse habuerit. Quapropter etiam Gregorius non majori quam antea Henrici ratione habita, in proxima Synodo nefaria rursus decreta contra eum edidit. Cum enim eodem tempore Rudolphi legati Romæ adessent Henricum vicissim (1) accusantes, illi Pontifex imperium confirmavit, huic vero denuo abrogavit, renovatoque de investituris Episcoporum decreto, sanxit, ut, si quis posthac Episcopatum aut Abbatiam, aut aliam Ecclesiasticam dignitatem ab aliquo laico acciperet, nequaquam inter Episcopos aut Abbates numeretur, nec alia ei ut Episcopo aut Abbati obedientia præbeatur, eique gratia S. Petri atque ædis ejus introitu interdicitur. Eadem ratione, si quis Imperator, Rex, Dux, Marchio comes aut quælibet alia secularis potestas, aut persona Episcopo

(1) Acta inter hos Legatos, atque jura juranda ab iis præfuta. Vid. apud Goldast. Constit. Imp. ad an. 1079. & 1080.

scopatum, aut aliam Ecclesiasticam dignitatem detulerit, ejusdem sententiæ vinculo teneatur (1).

§. 17.

Ista vero Pontificis summa perfidia Imperator non parum irritatus, cum lenitate sua ad bonam frugem eum non perduci posse, atque rigore opus esse cerneret, concilium Moguntiam indixit, in quo, ut & Brixienti Longobardorum Episcoporum conventu omnium suffragiis Gregorius condemnatus, atque Papali dignitate privatus fuit, hac à Brixinensibus Patribus sententia lata (2): *Quia illum constat, non à Deo electum, sed à se ipso in fraude ac pecunia impudentissime objectum: qui Ecclesiasticum subvertit ordinem, qui Christiani Imperii perturbavit Regnum, qui Regi Catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem; qui perjurum defendit Regem, qui inter concordēs disseminavit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter conjuges divortia, & quicquid quiete inter pie viventes stare videbatur.*

I

con-

(1) Sigonius ad ann. 1074.

(2) Vid. Goldast. Constit. Imp. ad annum 1080.

concussit, nos auctore Deo congregati in unum, legatis ac literis freti decem & novem Episcoporum die sanctæ præteritæ Pentecostes Moguntia congregatorum contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, perjuriam & homicidia defendentem, Catholicam & Apostolicam fidem de corpore & Sanguine Domini in questione ponentem, Hæretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum ac Somniorum cultorem, manifestum necromanticum, pythónico spiritu laborantem, & idcirco à vera fide exorbitantem, judicamus canonicè deponendum & expellendum, & nisi ab ipsa Sede his auditis descenderit, in perpetuum condemnandum. In locum vero Gregorii eadem Synodo Guibertus, Cancellarius primum Henrici, ac dein Episcopus Ravennæ, nomine Clementis III. surrogatus fuit. Quo factò Imperator contra æmulum suum in Saxoniam fuit profectus, selectis non minus copiis, quam egregiis ducibus instructus. Præter multos enim Principes, atque Episcopos, qui ei se rursus junxerant, Gothefridum Bullioneum, *Herculem illum Christianum*, qui post Gothefridi,

cu-

cujus supra meminimus, consobrini
 sui obitum Lotharingiam inferiorem
 acceperat, nec non Fridericum de
 Hohenstauffe, strenuos Duces nactus
 fuerat. Cum enim Rudolphus hunc
 posteriorem promisso ei Sueviæ Du-
 catu in suas partes pertrahere stude-
 ret, Henricus vero eundem Ducatum,
 filia in super sua Agnete in matrimoni-
 um ei data, offerret, legitimi Impera-
 toris partes Fridericus amplexus fuit,
 Sueviamque deinceps ipse, & posteri
 ejus ad Conradinum usque à Carolo
 Andegavensi Clementis IV. instinctu
 nefarie occisum, tenuerunt. Quia ve-
 ro Rudolphus non minus validum ex-
 ercitus contraxerat, prætereaque fal-
 so Gregorii vaticinio, quo is, ut ani-
 mum suis adderet, Pseudo-Imperato-
 rem interiturum prædixerat, anima-
 tus, acerrime, cum ad fluvium Ale-
 stram non procul Merseburgo exerci-
 tus hostiles sibi occurisissent, tantoque
 Saxonum impetu pugnatum fuit, ut
 de Henrici rebus actum fuisset, nisi
 Bullioneus eas restituisset. Is enim
 Rudolphum aggressus, cum circa illa

lethali vulnere eum læsisset, Saxones capite destitutos recedere coegit. Manum Rudolpho dextram, quæ hodiernum Merseburgi ostentatur, dum Bullioneus cum eo congredederetur, à quodam equite (1) amputatam fuisse referunt, mortique proximum mutilo suo brachio ostenso suæ partis Episcopos, ut fidem Henrico servarent, his verbis monuisse (2): *Hæc est manus, qua ego sacramenta præstiti Henrico Domino meo, vobis tamen urgentibus, toties in eum infeliciter pugnavi. Ite, & implete primam Regi vestro fidem: Nam ego vadam in Via patrum.*

§. 18.

- (1) De Ferfrido, filio Petri Columnii primogenito, Comitum Zolleranensium, quorundam sententia, hodiernæq; Domus Electoralis Brandenburgicæ stirpe id quidam asserunt. Vid. Cernitii Icones Elect. Brandeb. p. 12. Edit. Berol. 1663.
- (2) ita Cranzius Sax. lib. 5, c. 7. *Helmoldus* vero ultima Rudolphi verba Chron. Lib. 1. c. 29. sic refert: *Videtis manum dexteram meam, de vulnere sauciam. Hac ego juravi Domino Henrico, ut non nocerem ei, nec insidiarer gloriæ ejus. Sed justio Apostolica Pontificumque petiitio me ad id deduxit, ut juramenti transgressor honorem mihi indebitum, usurparem. Quis igitur finis nos exceperit, Videtis, quia in manu, undè juramenta vivo avi, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo ii, qui nos ad hoc instigaverunt, qualiter nos deduxerint, ne forte deducti simus in præcipitium eterne damnationis. & hoc dicens cum gravi molestia diem clausit extremum.*

Eadem felicitate Henrici filius, quem in Italia reliquerat, usus Gregorium Machtildis copiis adjutum juxta Parmam magna clade affecit, quam victoriam ut prosequeretur Pater, rebus in Germania utcunque compositis, exercitum in Italiam duxit, junctisque sibi filii copiis Romam usque nemine impediante, penetrat, quam, cum Gregorius, auxilio confusus Roberti Guiscardi Apuliæ Ducis defendendam suscepisset, proximo ante Pentecostem die 1081. obsidere cepit. Quia vero Pontifex valido Machtildis præsidio idoneoque comœtu erat instructus, urbe undique cincta atque inclusa, Ravennam in Hibernia imperator concessit. Proxima vero æstate reversus Leoninam, Romæ suburbium, in potestatem suam redegit, relictoque ad urbem, Clementi III. Pontifice, ipse Apuliam Roberto Guiscardo absente, late vastavit, sequentique demum anno Urben, quam vi expugnare non potuerat, caui cepit. Miles enim, qui, ut jacula colligeret, propius ad muros accesserit,

cum obsessi nimio astu atque continuo labore fatigati dormirent, comilitonibus quibusdam arcesitis muros conscendit, urbisque portas suis aperuit. Gregorius igitur, qui in turrim Crescentii s. Arcem S. Angeli se receperat, in angustias redactus, ut tempus, donec Robertus Guiscardus auxilio sibi veniret, traheret, de pace cum Henrico agere cœpit, irritum tamen, quia simulabat, atque iniquissimas postulabat condiciones, successu. Post famem dein, qua Romani laboraverant, pestilentia, ut fieri solet, in urbe invalescente, relinquere eam Henricus coactus fuit. Postquam vero is ab urbe recessisset, Robertus eam occupavit atque Gregorium, a quo ipsi Romani jam alienati erant, inde Salernum deduxit. Vana tamē & sine viribus ira, priusquam discederet Pontifex, synodum indixit, qua Henricū & Clemertem III. paucissimis licet præsentibus rursus excommunicavit (1).

S. 19.

(1) Ita Binius ex Bertholdo Constant. T. 3. concil. General. p. 2. Sigonius vero ad annum 1084. Synodū propter infrequentiam Episcoporum non habitam fuisse memorat.

fab
tur
Ru
Co
leb
de
de
Ha
aG
vi
ob
qu
Po
ru
igi
qu
am
Ge
cip
in
Ge
tib
Qu

(1)
(2)

Commorante vero Henrico in Italia factio Hildebrandina novas in Germania turbas excitavit, furrogato in locum Rudolphi Hermanno Lucelburgensi Comite, qui propter aliorum circa Islebiam, juxta quam Saxones arcem ei dederant (1) abundantiam *Rex aliorum, der Knoblauchs König*, appellatus fuit. Hæc autem Gregorii instinctu rursus acta fuisse, ex Epistola (2) ejus ad Pataviensem Episcopum liquet, qua Rudolphi obedientia collaudata, non prius alium quendam ei sufficiens monet, quam Pontifici in omnibus se morem gesturum eadem fide promississet. Ex quo igitur Hermannus eodem jurejurando, quod Rudolphus præstiterat, fidem suam Sedi Romanæ obstrinxerat, atque Goslariæ erat consecratus, multis principibus & Episcopis propter Henrici in Italia moram in suas partes pertractis, Germaniam gravibus implicuit motibus, duobusque Goslariensi atque Quedlinburgensi conciliabulis, omnia

I 4 ad

(1) Cranzius Sax. lib. 5. c. 10.

(2) Lib. 9. cp. 3.

ad Pontificis nutum egit. Henricus tamen non antea Italia sibi excedendū, quam res ejus plane composuisset, ratus Romam postquam Gregorius inde aufugisset, rediit, habitoque concilio Clementem III. primum inaugurari, seque dein ut & uxorem suam Bertham consecrari ab eo jusfit (1). Tandem Italiæ rebus in ordinem redactis, præfidiisque validis urbibus impositis, in Germaniam contra Hermannum aliosque rebelles regressus fuit.

§. 20.

Ut ad Gregorium redeamus, is, ex quo Roma in fine anni 1084. disceserat Salernum, in gravem morbum incidit, atque post diuturnas, ut Sigonius scribit, *con-*
zitiones, quas propter **CONSTITUENDAM**
ECCLESIAM *passus erat,* mense maio-
anni 1085. diem obiit supremum. Quæ Sigebertus de pœnitentia ejus scripta se reperisse memorat (2), quod sc. *in*
extremis positus ad se vocaverit unum de duo-
decim Cardinalibus, quem multum dilexerit
præ cæteris, & confessus Deo & Sancto Petro
& toti Ecclesiæ fuerit, se valde peccasse in

(1) Acta in hoc concilio. Vid. apud Goldastum in Con-
stit. Imp. ad ann. 1087.

(2) ad annum 1085.

paſto
erat
geni
dem
rem
indu
indu
rum
ſtiam
dem
impe
ſun
ipſe
ſe,
duo
ſult
fem
Pon
II, i
doc
run
trov
fuit
rato
uſq
II. c

(1) ac

pastorali cura, quæ ei ad regundum commissa
 erat, & suadente Diabolo contra humanum
 genus ordinem & iram concitasse; Quod
 demum prædictum confessorem ad imperato-
 rem & ad totam Ecclesiam, ut optarent illi
 indulgentiam, miserit; Quod veste angelica
 indutus dissolverit vincula omnium banno-
 rum suorum imperatori & omni populo Chri-
 stiano, vivis & defunctis, clericis & laicis, tan-
 demq; iusserit suos abire de domo, amicos vero
 imperatoris ascendere, valde mihi suspecta
 sunt. Præterquam enim quod Sigebertus
 ipse pro certis ea non videatur habuis-
 se, Sigonius, aliique Gregorium tri-
 duo ante obitum de successore suo con-
 sultum, præter Hugonem Lugdunen-
 sem Episcopum, duos ipsum secutos
 Pontifices, Victorem III. & Urbanum
 II, infensissimos imperatori, ut eventus
 docuit, homines commendasse refe-
 runt. Ceterum morte Gregorii con-
 troversia de Investitura Episcoporum non
 fuit sopita, sed magnis motibus impe-
 ratores inter & Pontifices ad famosam
 usque inter Henricum V. & Calixtum
 II. conventionem continuata, cujus rei

I 5


pro-

(1) ad annum 1085.

progresſum SECTIONE TERTIA exponere conſtitueram. Aliis vero negotiis interea diſtri&ctus, liberiori, ſi operæ precium me facturū videro, id tēpori reſervo. Pauca ſolum de ſcriptis hujus Pontificis addo. Reliquit enim (1) Expoſitionem in Matthæum, ex cujus Manuſcripto exemplari, quod in Bibliotheca Lambethana aſervatur, Cl. *Alixius* in præfatione ad Joh. Parienſis *Determinationem de modo exiſtendi corporis Chriſti in Sacramento altaris &c.* fragmentum exhibet. (2) Expoſitio quoque in VII. pſalmos pœnitentiales quam Gregorio M. quidam tribuunt, alii, quod multa in illa contineantur Henrici IV tempora reſpicientia rectius Gregorio huic VII. vindicari putant. (3) Plures inſuper quam ullus poſt Gregorium M. Pontificum epistoſas ſcripſit, quæ in libros IX. diſiſa a Binio Tom. 3. parte 2. Concil. General. & Tom. X. Concil. Edit. Labbeanæ exhibentur. Prolixius de his diſputant *Cave* (1) & *Dupinius* (2).

(1) Hiſt. Lit. Script. Eccleſ. p. 433.

(2) Biblioth. Script. Eccleſ. ad Sec. XI.



ERRATA.

Pag. 6. lin. 2. & 3. leg. *Pontificia Religionis.* p. 23.
 lin. 17. leg. *ut.* pag. 24. lin. 10. leg. *suffectum,*
rursusque ejectum. p. 50. lin. 5. à fine pro IX.
 leg. X. p. 51. lin. 5 pro *fuit* leg. *videbatur.* lin. 7.
 pro *atque cum uxore sua Mathilde* leg. *qui tamen*
non æque ac uxor ejus Mathildis. p. 70. lin. 4. à fi-
 ne pro *ob* leg. *Nec.* p. 73. lin. 2. pro IX. leg. X.
 p. 112. ad notam (I) add. *qui tamen anno de-*
cemum 1080. eam scriptam, & cum decreto
Brixienſis Synodi ad Gregorium miſſas eas
putat.

INDEX

Rerum præcipuarum.

A.

| | |
|--|----------|
| A driani I. decretum dist. 63. c. 22. | pag. 16. |
| videtur supposititium esse | |
| <i>Africa</i> rebus se immiscet Gregorius | 17, 18 |
| <i>Alexander II.</i> absque consensu Imperatoris electus Gre- gorio auctore, ab eoque impudenter defensus est | 58, 59 |
| - - - a Laico vetat Ecclesiasticum munus accipere | 59 |
| - - - Imperatorem Anathemati subjicit | ibid. |
| - - - Omnia egit consilio & auctoritate Gregorii | 60 |
| <i>Anzir</i> Rex Saracenorum | 90 |
| - - - ad eum scribit Gregorius | ibid. |
| <i>Apulia & Calabria</i> olim Feuda imperii | 73 |
| | Ar |

INDEX.

*Armeniorum ritus & mores Ecclesiasticos Gregorius
corrigen- dos sibi sumit* 89

B.

Belli inter Sacerdotium & Regnum origo 11, 12, 13,

14, 15.

Benedictus IX. cur asini & ursi specie apparuisse dicatur

39

*Bertholdus Zaringensis, quare ab Imperatore
defecerit*

116

C.

*Cardinales, quando potestatem eligendi pontificem
acceperint.* p. 56.

Clemens III. surrogatur Gregorio 130

Conradus I. exercuit jus investiturae Episcopalis 29

*Constantinus Pogonatus, an jure Pontificem consti-
tuendi sese abdicaverit?* 22, 23.

*Constantinopolitanam Ecclesiam Gregorius Romanae
subjicere studet.* 89

D.

Decretorum collectio seculo XI. facta 34

Dictatus Gregorii 98

- - Genuini habentur 102

F.

Fama de Anti-Christi Seculo XI. adventu 2

*Fridericus de Hohenstauffe accipit Sueviam, & in
posterum transmittit* 137

Ger-

INDEX.

G.

| | | |
|----|--|----------|
| 89 | Germania post anathema Gregorii in Henricum, in duas factiones scissa. | 104 |
| 33 | - - - Ejus Episcopi noluerunt pati, ut legati Pon- tificis synodum in Germania indicerent | 106 |
| 50 | Gothorum Reges Pontifices abdicant & instituunt | 21, 22 |
| ur | Gothofredus Bullioneus imperatorem juvat | 131 |
| 9 | - - - Ejus Virtute Rudolphus victus | ibid. |
| 6 | Gregorius VII. primus potentia papale stabilivit | 34. |
| m | - - - De ipso, & ejus temporibus Vaticanis | 6, 7, 8. |
| 6. | - - - Ejus Natales | 36 |
| 0 | - - - Ejus patria | 37 |
| 9 | - - - Puer mirabili casu ligna disponit | ibid. |
| i- | - - - Monachus Cluniacensis | 37 |
| 3. | - - - Familiaris Benedicto IX. & Gregorio VI. | 38. seq. |
| 2. | - - - Gregorii nomen assumit amore Gregorii VI. | 41 |
| 9 | - - - Gregorii VI. in exilio comes | 42 |
| 4 | - - - Prior factus Monasterii cluniacensis | ibid. |
| 8. | - - - ejus modus pecuniam cogendi | 47 |
| 2 | - - - Leonem IX. contra Imperatorem instigat | 44 |
| r | - - - Post Leonis obitum in Germaniam missus ad pontificem petendum | 47 |
| - | - - - Archi-Diaconus constituitur | 48 |
| - | - - - In Gallia duas Synodos celebravit | 49 |
| - | - - - Ex Gallia redux in Germaniam a Victore II. missus | ibid. |
| | | Sub |

INDEX.

- - - *Sub Stephano X. jam Investituram Episcoporum Henrico dolo & vi eripere studuit* 52. 53
- . - *Ne absque suo consensu Pontifex constituitur, paciscitur* 54
- - - *Se invitum Pontificem a Romanis electum simulat* 62, 63
- - - *Ejus ingenium* 66, 67
- - - *Literis imbutus* *ibid.*
- - - *Cur Magicus habeatur* 68
- - - *Prudens fuit* 70
- - - *Pietas ejus fucata* 71
- - - *Quorum ope, quave opportunitate usus fuerit ad consilia sua perficienda* 72. & seqq.
- - - *Jus sibi arrogat in Hispaniam 80. in Siciliam 87. Corsicam, Apuliam & Calabriam* *ibid.*
- - - *Imperium sibi sumit in Reges, Galliae 82, Angliae 83, Daniae 84, Poloniae* *ibid.* *Bohemiae Ducem* *ibid.*
- . - *Hungaria Regnum Sedi R. vindicare studet* 55
- - - *Dalmatia Ducem Regem creat* 87
- - - *Prima Synodo R. investituram Episcoporum adimit Principibus laicis, & Calibatum Ecclesiae ministris imponit* 102
- - - *Imperium Henrico abrogat* 128
- - - *Damnatus a Synodo Wormatiensi* 110, 111

Iterum-

INDEX.

| | | |
|--|--|-----|
| | - - - <i>Iterum de Sede Papali dejicitur a Synodis</i> | |
| | <i>Moguntinensi & Brixienſi</i> | 129 |
| | - - - <i>Salernum abit</i> | 134 |
| | - - - <i>ibidem moritur</i> | 136 |
| | - - - <i>Ejus poenitentia ſuſpecta</i> | 137 |
| | - - - <i>Ejus ſcripta</i> | 138 |

H.

| | | |
|--|---|-------|
| | Henricus II. <i>investituram Episcoporum in benefici-</i> | |
| | <i>um concedit</i> | 33 |
| | - - - <i>Sub eo crevit ambitio Cleri</i> | 34 |
| | Henricus III. <i>ſtrenue rurfus jus Episcopos constitu-</i> | |
| | <i>endi ſibi vindicat in Italia</i> | 36 |
| | Henricus IV. <i>puer ad imperium pervenit</i> | 76 |
| | - - - <i>Obedientiam erga ipſum ſimulat Gregorius</i> | 93. |
| | - - - <i>In Jus vocatur a Gregorio</i> | 110 |
| | - - - <i>Excommunicatur a Pontifice</i> | 112 |
| | - - - <i>Duriſſimas conditiones a conventu Triburi-</i> | |
| | <i>enſi ſibi praſcriptas accipit</i> | 118 |
| | - - - <i>Moleſtum in Italiam ut pontifici reconcilia-</i> | |
| | <i>retur iter ſuſcipit</i> | ibid. |
| | - - - <i>Indignis modis a pontifice excipitur</i> | 121 |
| | - - - <i>Pugna ejus cum Rudolpho anti-Caſare apud</i> | |
| | <i>Molrichsheim, & Fladenheim.</i> | 127 |
| | <i>juxta Aleſtram fluvium victus fuit Rudolphus</i> | 131 |
| | Hermannus <i>poſt Rudolphi obitum Anti-Caſar a fa-</i> | |
| | <i>ctione Hildebrandina conſtituitur</i> | 135 |
| | - - - <i>Cur dictus der Knoblauch, König</i> | ibid. |
| | <i>Gosla-</i> | |

INDEX.

- - Goslarie & Quedlinburgi conciliabula celebravit ibid.

I.

- Imperio privare Imperatores nemo ante Gregorium VII. ausus fuit 114
- Investitura Episcoporum competit seculari potestati 16
- - Eam inde à Constantino M. ad Henricum IV. exercuerunt Imperatores 20 - 36
- Jus Canonicum emulum Justinianei & studiis pontificum accommodatum. 24

L.

- Leo IX. à Gregorio contra Imperatorem instigatur 44
- - Cum eo Gregorius Romam proficiscitur ibid.
- - Nortmannis auctore Gregorio bellum infert, & infeliciter gerit 46
- - Omnia consilio Gregorii egit ibid.
- Lodovici I. abdicatio juris investitura Episcopalis dist. 63. c. 20. est falsa. 26, 27.

M.

- Mathildis ortus 74
- - Mariti 75
- - Consuetudo cum Gregorio suspecta amorum furtivorum ibid.

N.

- Nicolaus II. auctore Gregorio pontifex creatus fuit 55 Gre-

INDEX.

- Gregorii consiliis actus 56
- Normannos sibi conciliat Gregorius 73

O.

- Ortones I. II, III. gravibus suppliciis a Romanis sumptis jus in Ecclesiam R. sibi vindicant 30, 31.
- Otto Bavaria ducatu privatus Saxones contra Henricum incitat 105
- Ejus ortus *ibid.*

R.

- Roma obsidetur ab Henrico IV. 1233
- - Casu capitur 1234
- Rudolphus Dux Suevia cur defecerit ab Imperatore 117
- - Instinctu Gregorii Anti-Cesar constituitur Forchemii 124
- - Juxta Alestram victo manus dextra amputatur 131
- - Admonitio ejus ad Episcopos ut Imperatori fidem servarent 132

S.

- Saxones rebellant contra Henricum IV. 78
- - Denuo rebelles auctore Ottone Bavaria ejecta 83
- - Victi accusant Henricum apud Gregorium 108
- Sendorffii (illustris) judicium ad Epistola Gregorii *ii*

K

INDEX.

| | |
|--|---------|
| <i>yii ad Anzir Regem Saracenorū scripta</i> | 90 |
| <i>Seculi XI. corruptio</i> | 1 |
| - - <i>Barbaries</i> | 70 |
| <i>Stephanus X. auctore Gregorio Papa factus</i> | 50 |
| - - <i>Gregorii auctoritate omnia gessit</i> | 51 |
| <i>Sylvester II. cur Magicus habeatur?</i> | 68, 69. |

T.

| | |
|---|-----|
| <i>Triburiensis conventus Procerum Germania</i> | 118 |
|---|-----|

V.

| | |
|---|----|
| <i>Victor II, Gregorio auctore Pontifex constitutus</i> | 47 |
|---|----|

W.

| | |
|--|-----------|
| <i>Wermatiensi Synodo Gregorius Papali dignitate abdicatus</i> | 110, 111. |
|--|-----------|

FINIS.







AB 67 225

VD18

ULB Halle
008 550 263

3





VITA
GREGORII
ROMANI PONTIFICIS
ejus nominis
SEPTIMI
concinnata

2



ARO₃
A

HANNIS

